

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Christian Zietz


Disquisitionis Theologicae ...

**Pars Posterior : Quomodo Notio De Messia In Animis Apostolorum Sensim
Sensimque Clariorem Acceperit Lucem**

Lubecae: Green, 1793

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819724750>

Band (Druck) Freier  Zugang 



Fe 3985 (2)

QVOMODO
NOTIO DE MESSIA
IN
ANIMIS APOSTOLORVM
SENSIM SENSIMQUE
CLARIOREM ACCEPERIT LVCEM.

DISQVISITIONIS THEOLOGICAE

PARS POSTERIOR.

AVCTORE


HENRICO CHRISTIANO ZIETZ
REV. MINISTERII LVBEC. CANDIDATO.

LVBECAE
e TYPOGRAPHIA b. G. C. GREEN
MDCCXCIII,

Fc - 3989.2

ГЛАВОДА
МОДО ДЕ МЕСТИД
И
МИЛЫЯ АФОЛОЯУМ
СИНИЯ ЕННЕМЕА
СЛАВОМ АССИЕРІІІ

DISCOURS
THEOLOGICAIS



ДАГОДИ

HEMINGO CHRISTIANO SITTE

наука, письменность, изобретения

ЛІТЕРАТУРА

СУТОЧНАЯ ПЕЧАТЬ

1855-1856

VIRO

ADMODVM REVERENDO, CLARISSIMO
DOCTISSIMO

**M. JOACHIMO HENRICO
OSTERMEJER**

PASTORI APVD TRAVEMUNDENSES

CELEBERRIMO
FAVTORI MAXIMOPERE COLENDO

NEC NON

VIRO

PRAECELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO

**JOHANNI DANIELI
OVERBECK**

RECTORI GYMNASII LVECENSIS

CELEBERRIMO
PRAECEPTORI OMNI PIETATE PROSEQVENDO

AMBOBVS

AFFINITATE, MERITIS,

LAETISQVE FATIS CONIVNCTISSIMIS

MVNVS

MENSE IVNIO MDCCXCIL

PER QVINQVAGINTA ANNOS

FELICITER GESTVM

GRATVLATVR

IISQVE

FAVSTA QVAEQVE APPRECATUS

HVN C LIBELLVM

TANQVAM

REVERENTIAE ET GRATI ANIMI

DOCUMENTVM

SACRVM ESSE VVLT

AVCTOR.

Collectis in antecedentibus, explicatis pro-
batisque per testimonia e scriptorum
Judaicorum libris defumta, opinionibus,
quas Judaei huius aetatis de Messia venturo
fouebant, quas etiam discipulorum Jesu ani-
mis infixas fuisse, iam exemplis vidimus et
in sequentibus ostendemus pluribus, nunc ad
alteram disquisitionis nostrae partem trans-
gredi nobis licet, qua nempe polliciti sumus
(p.7.) definire: *quidnam Jesus fecerit, ut huic*
opinioni de regno suo peruersae contradi-
ceret? Non enim aliter exspectandum erat,
quam, vt pro suo veritatis studio notiones
peruersas, quas in mentibus aliorum reperiri
videbat, emendaret eosque meliora doceret;
licet negare minime possimus, variis in re-
bus, v. c. in eligenda docendi materia, et
in usu verborum, exemplorum, argumento-
rum, quibus cogitationes enarraret atque
illustraret, illum sele accommodasse ad auditio-
rum ingenia, sententias, capacitatemque, quum
ipsi mos esset, vt et in posterum apostolis,
verbis vti consuetis, coniungere vero cum
iis sensum meliorem veritatique magis con-
uenientem. Coaeui nimirum non patieban-
tur, claris verbis et sine imaginibus docere
eum doctrinae suae capita nonnulla, v. c.

D

abo



abolitionem legis Mosaicae, quapropter Jesus eorum debilitati pro sapientia sua tantum cedebat, vt non nisi sensim et paratis animis per doctrinam suam huc vsque cum iis communicatam, grauiora ac difficiliora adderet claris notisque, et vt caeterorum, quae capere nondum poterant eius aetatis homines, quasi praemissa iis daret, conclusionem vero ipsis relinqueret, discipulos suos autem, praecipue post resurrectionem, institueret, iisque daret adjutorem Spiritum, ad explicanda deinde magis magisque, confirmanda, et augenda magistri effata; atque sic religio Christiana plenius ab iis efformata est et exculta⁷⁴⁾. Quam ob causam Jesus, dum viueret in his terris, doctrinam de regno suo penitus absolutam atque a figmentis omnibus purgatam, cunctis tradere minime poterat. Praeconceptae opiniones enim tam firmiter animis hominum erant infixae, et numerus earum satis erat magnus, vt minime sufficeret, vnam alteramue confutare, falsitatem eius ostendere et probare, superstructam eam esse rationibus non firmis vel loco aliquo V. T. perpetram intellecto. Fundamentum vero eorum destruere, et omnia, quae huc pertinebant, vera ratione illustrare, opus fuisset immensum difficillimumque, quod Jesus in se suscipere

⁷⁴⁾ cf. Hess über die Lebren, Thaten u. s. w. Abschn. IV. Lehrumgang des Herrn mit seinen Schülern.

pere nolebat, quum tempore, quo doceret, breuissimo, multa alia atque grauiora ipsi essent facienda; et quum euentus ipse docturus esset, opiniones eiusmodi fundamento carere satis firmo. Sufficiebat ei, contradicere sententiis praecipuis, quibus caeterae nitebantur, v. c. se esse regem terrenum, felicitatem, quam datus ipse esset cultoribus, pertinere solum ad Judaeos, caet., contrariumque factis ostendere, quum statim his ademtis corruerent plures. — Doctrinam de se plenam omnibus numeris absolutam hanc ob causam quoque viius non poterat proferre, hominesque de eius veritate persuadere, quia necessario prouocandum erat ad facta adhuc futura, qualia erant eius passio, mors et resurrectio, quibus vt confutarentur opiniones tam multis firmisque, vt plurimis videbatur, nisae argumentis populus tum nondum patiebatur, quia omnia Messiae fata longe alium habitura esse euentum, certe sperabant; et si Jesu verbis, quibus talia de se praedicaret, credidisset, respuendi eum argumentum in iis reperire sibi visus esset⁷⁵⁾. Haec bene praeuidens Jesus in doctrina sua de regno a se instaurando formulis vtitur consuetis, quae auditoribus erant notissimae, quum turbam plerumque doceret, non vero institueret doctos⁷⁶⁾;

D 2 his

⁷⁵⁾ cf. Hes I. c. Abschn. V. p. 193. sqq.

⁷⁶⁾ Adeo si cum doctoribus instituit colloquium, ita agit, v. c. Joh. III. in erudiendo Nicodemo vtitur



his verbis autem simul annexit sensum meliorum verioremque, atque ita populi notiones hac ipsa ratione emendat. Quam docendi methodum ipse commendare videtur (Matth. XIII, 52.), quando dicit: *Doct̄or quilibet, institutus doctrina de regno cœlesti* (sive institutus, ut doctrinam de regno coelesti diuulgat) *similis esse debet patri familias, qui ex copia sua et noua depromit et antiqua;* et quum h. l. colloquium instituat cum discipulis, illis hoc exemplo consilium dat: ita et vos, si in posterum erudietis homines, veritates religionis illis nouas et inauditas illustrate rebus quotidianis et auditoribus notis. Quod quum Jesus ipse fecerit, seque, quantum salua veritate fieri poterat, ad hominum suae aetatis ingenia accommodauerit, mirum esse nobis nequit, nos in orationibus Jesu non completam reperire de regno ac persona sua notionem⁷⁷⁾, et praesertim, quia Euangelistæ

vtitur verbo: γεννηθ. αὐωνεύ v. 3. quod Iudei dicere solebant de proselytis, qui ex filiis parentum naturalium facti erant filii Abrahāmi (cf. Lightfoot ad h. l.), intelligit autem animi emanationem vniuersam.

⁷⁷⁾ Penitus ergo definire non possumus, quid Jesus ipse de regno suo cogitauerit. Plura enim nobis de eo docuisse videtur, atque eodem modo pro veritate sua (Joh. VIII, 46. I Petr. II, 22.) cogitasse, quam quae Koppe *Exc. I. ad Theſſ.* p. 219. Ed. I. profert, licet non affentiamur Eckermannio, contra hunc disputanti *Theol. Beitr.* 2, Bd. I, St. p. 98—180.

gelistae tantum partem dictorum eius, et fortasse minorem, literis consignasse videntur (Joh. XXI, 25.), statim est confitendum, nos non omnia nouisse, quae Jesus fecerit aut loquutus sit, ut huic opinioni de regno suo peruersae contradiceret. Iis ergo contentos nos esse oportet, quae in memorabilibus de vita eius adhuc conseruata sunt, atque ex his collectis nunc videamus, qua ratione Jesus hanc opinionem studuerit confutare. Egit autem hac in re ita, ut aliis in locis diserte contrarium peruersis his sententiis doceret, in aliis vero institueret discipulos populumque, quisnam sit ipse, quaenam doctrinae regnique indoles, vel id factis demonstraret. De utroque locorum hoc pertinentium genere nunc nonnulla addemus, ut inde clarum fiat, quidnam Jesus fecerit ad contradicendum peruersae huic notioni.

Initio statim munera sui intensissimum Jesu studium est, utne alat atque confirmet in animis discipulorum opinionem, quam fouebant, se esse regem terrenum, nec in sequentibus vitae annis ullum praetermittit occasionem dicendi illis, non a se exceptandum esse gloriam atque diuitias imperiumque in his terris. E contrario enim discipulis diserte affirmat, *illis doctrinae suae causa suscipiendas esse calamitates.* Nam in oratione, quam inter primas e publicis nobis conseruarunt euangelistae, que-

D 3

que

—

que discipulis maximam partem dicta est⁷⁸⁾: *Beati estis*, inquit (Matth. V, 11. 12. coll. Luc. VI, 22. 23.), *si mei causa vos dictis factisque vexauerint et criminibus factis vos cumulauerint.* Tum igitur valde laetamini, magna enim post vitam vobis manent praemia, et cogitate, simili ratione etiam legatos diuinos vobis antiquiores fuisse vexatos; et in antecedentibus (v. 4.) beatos praedicat illos, iam animo tristes, gaudio enim illos esse recreandos. Quum deinde primum faceret periculum mittendi discipulos, qui populares docerent ea, quae adhuc a magistro audiuerant, inter alia, quae illis praescriberet, praecelta, etiam hoc erat (Matth. X, 16. sqq. quod et iis dabat, quos e reliquis septuaginta discipulis praecones mittebat, ut fibi viam pararent Luc. X, 3.): *Ego vos mitto, veluti oves, inter medios lupos, quare serpentum prudentiam et columbarum simplicitatem imitamini.* Cautē igitur inter homines versamini; rapient enim vos in syndria et in synagogis vos flagris caendent. *Ad principes et reges vos ducent propter disci-*

⁷⁸⁾ Exclusis tamen minime hominibus Jesum secutis et adstantibus, quorum gratia adspexit sententias atque cohortationes nonnullas, ex quibus et illi maximam capere poterant utilitatem cf. Pott Diff. de natura et indole orationis montanae &c. Helmst. 1788. p. 14 et Frotscher Diff. de consilio, quod Jesus in oratione, quae dicitur montana, secutus est &c. Viteb. 1783. §. 4. sq.

*disciplinae meae professionem atque ita ipsis
 et reliquis hominibus documento constabit,
 vos esse innocentes — illis praedicit (v. 22.).
 vos odio nominis mei omnibus eritis iniurii;
 — ad fata, quae ipsi iamiam acciderant,
 quaeque adhuc erant suscipienda, attentos
 eos facit et simul admonet (v. 24. sq. coll.
 Joh. XV, 20.), discipulum exspectare non
 posse sortem magistro suo meliorem, nec
 seruum sortem laetiorum domino, utrumque
 contentum esse debere, si parem habeat sor-
 tem. Quodsi igitur, addit, *Judei me pa-
 trem familias appellarunt Beelzebub, quanto
 magis vos, domesticos meos, i. e. si Judaei
 me conuiciis sunt prosecuti, si ego iniuriis
 eorum expositus fui, quanto magis vobis
 hoc est ferendum! — indignum disciplina
 sua declarat eum, qui propter nominis sui
 professionem calamitates ferre recuset (v.
 38.), — denique eadem admonitione affir-
 mat (v. 39. coll. c. XVI, 25. sq.): eum, qui
 vitam suam seruare studuerit, hanc esse per-
 ditum, qui vero vitam propter religionis
 professionem perdere sit paratus, eam esse
 seruaturum 79). — Alia occasione Iesus,
 D 4 quum**

79) Huius sententiae, proverbiorum modo pronun-
 ciatae, duplex esse potest sensus *Primum*: illi
 mei sectatores, qui mortis periculo compulsi cau-
 sam meam relinquunt et ad Judaeos redibunt, cum
 iis peribunt in adstante reipubl. excidio; illi contra,
 qui mei causa vitae periculo a Judaeis impendenti
 con-



quum Petrus eum, discipulis de calamitatibus ipsi, suscipiendis loquentem, secum abducit, ut ei hoc consilium dissuadeat, populum cum asseclis conuocatum, ita aliquid quitur (Matth. XVI, 24. coll. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 33.): *Quicunque vult meus esse se-ctator, is suam ipsius felicitatem externam negligat, atque meo exemplo miseriam ob religionem meam ferat.* Et huius rei causam dicit, (Joh. XV, 18. 19. XVII, 14.) quia discipuli non essent hominibus eius aetatis similes, sed ex his electi. — Ne vero nimis longus videar hac in re, locis adductis iam satis demonstrata, hic subsistam in describendis ipsis Jesu verbis, quum hanc admonitionem saepius postea quoque repetit

Ser-

constanter sese obiiciunt ac religioni meae addicti manebunt, in communi populi miseria seruabuntur, — quod et factum est, quum Christiani eo tempore sese reciperent Pellam; hoc modo ψυχη sumitur h. l. de vita propria, ut Matth. II, 20. Joh. X, 11. — Sumi vero potest deinde de felicitate animi praesertim in altera vita, ut synonymum ζωη, si h. l. ponitur in dilogia, ut primum significet vitam propriam sic dictam, alterum (pro quo dicitur αὐγήν) felicitatem; et ita sensus enascatur hic: Qui religione mea deserenda vitam seruare studet, is felicitatem amittet, qui vero religionis meae causa vitam amiserit, is erit felicissimus. Hoc modo si explicatur, idem est, ac Joh. XII, 25: εἰς ζωὴν αἰώνιον Θυλαξει αὐγήν. — Idem est in verbis v. 22. qui constans fuit] usque ad exitum, is seruabitur.

Seruator⁸⁰⁾. Grauissimum enim fuisse fidei discipulorum impedimentum, si ipse huic opinioni, qua terrena bona quaeque ab ipso exspectabant, nulla occasione contradixisset, quum in sequentibus ipsius fatis, toto coelo ab exspectatione sua differentibus, argumentum reperire sibi videri potuissent, Jesum non esse verum promissum gentis suae Servatorem. Nunc autem omnis dubitatio euangelio debeat, vtrum calamitates, quae Jesu erant ferendae, cum dignitate ipsius, tanquam Messiae, queant conciliari, quia a magistro ipso fuerant edocti, non aliter fieri posse, si muneri suo a Patre sibi demandato, satisfacere vellet. Nunc quoque non de forte sua queri poterant, quae religionis causa ipsis contigit; satis mature enim doctor iis praedixerat, quanam futura sit (Joh. XVI, 33.), eosque admonuerat, ne se amplius sequerentur, nisi calamitates suscipere sua causa essent parati. Simul vero iis, qui nihilominus constanter perseveraturi essent, praemia pollicetur, non terrena, sed in coelis maxima, dum (Matth. V, 12. Luc. VI, 23.): *præmium, inquit, vestrum post hanc vitam insigne erit in coelis*⁸¹⁾ ne penitentia

D 5 tus

⁸⁰⁾ cf. Matth. XXIV, 9. coll. Marc. XIII, 9. et
Luc. XXI, 12. sqq. Luc. XIV, 26. 27. XVIII, 29.
Joh. XII, 25. XVI, 2. 33.

⁸¹⁾ cf. quoque Matth. XIX, 29. Marc. X, 29. sq.
Luc. XVIII, 29. sq.

tus de felici successu desperati negotium desererent; eosque admonet (Matth. VI, 34.):
*Nolite vos curis de eo, quid sit cras, ange-
 re, cras curate, quae crastino die curanda
 sunt, sufficit enim, singulo die ferre ea,
 quae in illo vobis imminent mala.*

Ac ne bona terrena a Jesu exspectarent discipuli, statim profitetur, *se esse pauperem,* nec illis diuitias donaturum. Ipsis enim verbis hocce fatetur legisperito, qui discipulus eius esse cupiebat, cuiusque mentem Jesus bene perspiciebat, dum (Matth. VIII, 19. 20. Luc. IX, 57. 58.) ei: *Cogites, quaeſo, inquit, vulpes habere sua luſtra, auibus esse ſuos niños, me autem carere loco, in quo caput reponam;* quod simul discipulis, fine dubio praesentibus, monitum esse poterat salutare, *ſe manere non posſe ipſius discipulos,* si tales in animo haberent exſpectationes bonorum, quae ab ipſo nunquam eſſent accepturi. *Beatos eandem ob causam prae-
 dicat illos, qui animo ſint humili, eorum enim eſſe felicitatem in regno Mefſiae.* (Matth. V, 3.) Qui enim h. l. dicuntur *πλωχοι τω πνευματι,* sine dubio ſunt illi, qui non gloriae externae, bonorum ter-
 rarium atque splendoris ſunt cupidi, et hos Jesus prædicat aptiſſimos ad fuſcipiendam ſuam doctrinam capiſſendamque felicitatem inde enatam. Contra vero his verbis ſimul innuit, illos, qui tantum gloriam, honores bona-

bonaque caetera a se exspectarent, minime dignos esse, quos discipulos ipse nominet, quippe qui illis non sit ista largitus 82). — In eadem hac oratione discipulos admonet (Matth. VI, 24. coll. Luc. XVI, 13.) his verbis: *Nemo simul duobus addictus esse potest dominis, alterum enim praeferet alteri, et neglecto uno magis colet alterum.* Eodem modo et vos (discipuli) *Deo ac diuitiis simul inservire non potestis.* Videtur enim nobis formula: seruire Deo, discipulis dicta, idem esse, ac: causam Dei agere, ministrum esse Dei, et praecipue doctorem religionis, et si ita intelligimus verba, Jesus expresse h. i. docet: si vos, discipuli, me sequendo diuitias acquirere putatis, non apti estis ad disciplinam meam hominibus tradendam, hoc negotium enim cum argenti cumulandi studio conciliari nullo modo potest 83). — Eo etiam,

82) Magis adhuc probatur sententia hoc loco, si cum multis τῷ πνευματι coniungimus cum μακαρίοι, hoc sensu: *Felices animo, licet non sint conditione externa, pauperes, eos enim manet felicitas regni Messiae.* Luc. VI, 20. Sed propter contextum prima explicatio, quam supra fecuti sumus, nobis videtur praeferenda.

83) Pertinet hoc etiam Luc. XVI, 9. ex interpretatione *Hanii Schrifterklärungen* Iste Forts. Schwer. u Wism. 1790. p. 17—19. qui haec verba dicta esse putat discipulis (v. 1.), et simul Phariseis (v. 14.), eorumque hunc esse sensum: *Ich dächte ihr verschenkt das leidige Geld: so würde man euch*



etiam, quod Jesus orare docet discipulos Patrem: *Da nobis viētum nostrum de die in diem* (Matth. VI, 11. Luc. XI, 3.), admonere eos videtur, ne pecuniam colligere se posse, qua laute viuerent, in suis negotiis exspectarent, sed eorum vitam fore eiusmodi, ut diuitiis destituti aliquando ad Dei auxilium recurrere coacti forent atque ab eo petere viētum. Sed alio tempore mentem eorum firmat sermone pulcherrimo (Matth. VI, 25 — 34.): *Non solliciti estote de viētu ad vitam sustentandam, et de amiētu ad corpus tegendum.* Nonne vita potior est viētu, corpusque amiētu? (qui ergo vitam vobis dedit et corpus, idem et viētum dabit vobis et amiētum); aves et lilia in agro conspicere eos monet et inde concludere, Deum, qui de eiusmodi rebus paruis curam gerit, non negligere vitam hominum, et denique addit: *Quare absint a vobis querelae: quid edamus? quid bibamus? quid induamus?* Paganos quidem (qui de prouidentia diuina non tam firmiter sunt persuasi) tales curae angunt, vos autem patrem habetis caelestem, qui iſtis omnibus vos opus habere nouit. Prima ergo cura vestra dicata sit religioni meae et virtuti, quam Deus postulat, reliqua illa insuper vobis contingent. Quare crafina nolite curare. Similia etiam iis Jesus dixit, quum

euch, wenn's mit euch zu Ende geht, in die ewigen Hütten, d. i. in den Himmel, aufnehmen,

quum primum eos inter alios mittendi periculum faceret ⁸⁴⁾), Matth. X, 29—31. coll. Luc. XII, 6. 7. — Si vero, his admonitionibus opus esse, sapientia Jesu praeuidebat, simul ex illis patet, eum haec omnia praedicere discipulis ea causa, ut non bona terrena et diuitias a se exspectent, et ut illorum opinionibus de regno terreno peruersis statim initio muneris et postea contradiceret qualibet occasione. Eandemque ob causam illis praecipit (Matth. XX, 25. sqq. Marc. X, 42. sqq.) ne sint nimis gloriae cupidi, similes principibus gentilium, sed ut amore erga se inuicem et seruieri studio vnum antecellere alteri summum ducat honorem, suumque ipsius imitentur exemplum, idemque repetit Luc. XXII, 25. sqq.

Ne autem magna alia ab illo exspectarent, statim initio in oratione aditiali illos docet, ad quodnam negotium sint destinati, eos nempe esse debere hominum doctores. Comparat illos cum luce splendente, quae hominibus viam illustraret, ut illa eo tutius ingrederentur (Matth. V, 14.) ⁸⁵⁾ et cum

⁸⁴⁾ Quam parum haec legatio atque praecepta hac occasione discipulis data, consilia prodant terrena et alere ea possint, optime ostendit Tobler Gedanken u. Antworten zur Ebre J. C. u. seines Reichs. Zürch 1780. p. 94—96.

⁸⁵⁾ Φως enim est visitata imago doctoris, v. c. Joh. I, 9, VIII, 12. IX, 5. et φωτιζειν saepius de-
notat

sale (v. 13.), vt, quemadmodum sal cibos conseruat a putredine et condit, ita illi doctrina sua homines a peccatis et erroribus noxiis conseruent, eosque institutione et exemplo ad veram sapientiam ducant atque virtutem. Si vero Jesus discipulis satis mature aperit, illos fore non nisi doctores, statim facilis ipsis erat conclusio, se ergo non dominaturos esse in terram, imperante rege Messia, eiusque consilium igitur non fore eiusmodi, quale putabant, sed et ipsum esse doctorem, nec, vt opinabantur, principem gloriosissime regnantem.

Sed non hac occasione solum, verum etiam aliis, meliora Jesus edocet discipulos et auditores de regno suo, dum modo claris verbis opinionibus illorum de eo peruerfis contradicit, modo talia proponit, quibus perspectis hae eo ipso corruant. De vtroque nunc nonnulla addere liceat exempla.

Quum solemnis Judaeorum erat persuasio, *Messiam exspectandum esse regem potentissimum*, multa etiam fingebant de signis, quae eius tempora essent praegressura, et de pompa

notat docere, instituere, vt hebr. הַוְרָה quod LXX vertunt Φωτίζειν Jud. XIII, 3. 2 Reg. XII, 2. et διδασκειν Exod. IV, 15. Prov. IV, 4. (vbi Aquila reddit Φωτίζειν), Eph. III, 9; et Suidas explicat per εἴλαγγελλεῖν.

pompa, quam in conspectu hominum sele ostenderet. — Aperte autem Jesus profitetur, regnum suum ita incipere, ut signa cum eodem coniuncta, non in oculos incurvant et obseruari queant; neminem ergo certe definire posse, hoc aliquo loco eiusdem esse initium, sed iam inter eos fore inauguratum prius quam crederent. (Luc. XVII, 20. sq.)⁸⁶⁾ Re autem ita se habente corruerant inde somnia de regno Messiae terreno, maximo cum splendore ab Elia inaugurando, atque de miraculis in eiusdem initio exspectandis v. c. aduentu Eliae Thesbitae, resurrectione mortuorum, al.⁸⁷⁾.

Exspectabant porro coaeuorum plurimi, fore, ut Messias, superatis hostibus iisque fugatis, pacem hominibus donaret profundam atque nullo tempore interruptam. Hoc autem minime fuisse consilium Jesu, eumque claris verbis contendisse (Matth. X, 34. Luc. XII, 51.), se non venisse, ut conciliaret pacem in terra, sed potius bellum, iam supra vidimus (p. 46.); hoc ergo mittamus. Videatur autem primo intuitu dictum Jesu (Joh. VIII, 32. sqq.) huic fauere opinioni, dum: *Cognitam, inquit, habetis veram religionem,*
et

⁸⁶⁾ Εὐλόγος υἱων enim idem est, quod alias εὐλόγη
Luc. VII, 16. *inter vos, in medio, ut non cogitandum sit h. l. de animi emendatione et de vi,*
quam in hominum mente exserat.

⁸⁷⁾ cf. supra p. 39, sqq.



et haecce vos liberos reddere potest, vt et auditores haec verba intelligunt, quapropter eum interrogant: a quonam eos sit liberaturus, quum nemini seruant? Statim autem evanescit huius explicationis species, si legimus ipsius Jesu interpretationem, hanc liberationem nempe intelligendam esse de seruitute peccatorum, eosque, qui per Messiam ex hoc imperio essent erepti iure liberorum nomen sibi tribuere posse. Eadem ratio est in sequentibus (v. 51. sqq.), vbi Jesus affirmat, eos, qui doctrinam suam seruarent, liberos esse a morte subeunda, quod effatum quum Judaei intelligerent de morte naturali, Jesumque declararent insanum, quod talia contenderet, licet Abraham cum Prophetis mortui essent, ipse in sermonis continuatione ostendit, se longe aliter haec verba sumere, seque multo excellentiorem esse Abraham. Sic enim pro sapientia sua agere solet, vt verbis, quae ob ambiguitatem aut obscuritatem ad errorem deducere possint auditores, addat explicationem, ne sua culpa peruersis imbuantur notionibus, et in iis, quas iam fouebant, magis firmarentur.

Eandem ob causam etiam affirmat, *non esse suum, dirimere lites, quae solum res spectent terrenas.* Homini enim cuidam se roganti, vt iubeat fratri diuidere cum illo bonum haereditarium, respondet: quis me constituit iudicem vestrum, vt bona inter vos

vos diuidam ? et hanc occasionem arripit admonendi auditores , vt sibi caueant ab auaritia (Luc. XII, 13. sqq.). Alia occasione interrogant illum Phariseorum nonnulli , vt illi insidias struerent , vtrum liceat , censum dare Imperatori ? Jesus autem , postulato censi nummo , ipso facto ostendit , eos ipsa hac argenti inscriptione confiteri , se agnoscere , debitum hocce tributum Imperatori esse persuoluendum ; non ergo opus esse amplius ipsius iudicio , quum haec moneta totam dirimat litem. (Matth. XXII, 15—22. Marc. XII, 13—17. Luc. XX, 20—26.) Qua responsive etiam tacite illorum contradicit opinioni , se liberaturum esse populum a Romanorum potestate , quum hac occasione eos admoneat , vt suum praestent Imperatori Deoque.

Innuit potius repetita vice , *consilium* , quod sequatur , *esse emendationem mentis humanae* , non ergo communicationem bonorum terrestrium , quae tantum spectent ad felicitatem externam . Appellat sese eam ob causam lucem mundi , h. e. hominum doctorem (Joh. VIII, 12. IX, 5.), vt statim apparet , se non venisse in hunc mundum , vt imperaret (Matth. XX, 28.) , sed vt coaeuos doctrina sua institueret saluberrima . In colloquio etiam , quod habuit cum Nicodemo , uno e Phariseorum numero , huic libere profitetur , vnumquemque , qui socius esse

E

cu-



cupiat regni Messiani, penitus conuertere se debere, priusquam dignus sit receptione inter illos, qui felicitatis huius regni sint participes. Ita enim alloquitur Jesus hunc virum, qui sine dubio plures iamiam proposuerat ipsi quaestiones, a Johanne breuitatis causa, quum ex Jesu responsione facilis ad earum argumentum esset conclusio, omissas, dum illi: *Certissime tibi dico*, inquit (Joh. III, 3.), *nisi quis Dei auxilio* (s. rursus) *emendatur, non potest felicitatis in regno Messiae exspectandae particeps fieri*; et deinde (v. 5. sq.): *nisi quis emendetur baptismo et doctrina meliori, huius regni socius esse nequit*. Qui enim naturali modo nascitur, homini naturali similis est; qui vero doctrina meliori emendatus est, huic doctrinae conuenienter agit, et homo fit melior. Quum vero doctrinae suae hanc tribuat vim, ut hominem per emendationem solum dignum reddat regno Messiae, statim apparent, hanc felicitatem ex ipsius doctrina non consistere in bonis terrestribus, sed eam esse generis longe excellentioris magisque ad animuin pertinentis, quam ad conditionem externam; et consilium, quo ipse venit in mundum, quum hoc sit, ut homines ad hanc felicitatem adducat, longe aliud esse debere, quam quod Judaei sibi fingeant exsequendum a Messia venturo, communicationem nempe felicitatis externae. Idcirco affirmare poterat, legisperitum illum non multum abesse a doctrin-

doctrina Christiana, qui primam virtutis legem dicebat amorem erga Deum hominesque (Marc. XII, 32—34.), ita enim sentire hominem oportere, qui Messiam sequi velit, non vero exspectare bona terrena. — Inde docet, non recipi inter veros Messiae socios, nisi homines emendatos. Sic enim (Matth. VII, 21.): *Non quilibet, diserte inquit, qui me ore tantum Messiam profitetur, felicitatem regni Messiani adipiscetur, sed solum is, qui mandatis obtemperat patris mei caelestis;* quod et ostendere vult imaginibus (Matth. XIII.), dum v. c. (v. 24. sqq.) societatem eorum, qui se Messiam profitentur, comparat cum semine bono ab oeconomo in agrum sparso, inter quod vero, hoc dormiente, inimicus lolium seuerat, de quo, quum serui domino hoc factum annunciant, hocce fert iudicium: crescat vtrunque usque ad messem, tunc messoribus mandabo, ut lolium colligant in fasces atque comburant; cuius fabulae postea addit explicationem (v. 37. sqq.) in qua de lolio, i. e. hominibus malitiosis, ita iudicat: tempore messis, h. e. in fine huius aetatis, a ministris suis e medio cultorum tolli seductores atque flagitiosos, hosque collocari loco quodam infeliciissimo, probos autem homines tunc summo splendore, soli simili, lucere in patris regno. Idem alia imagine (v. 47. sqq.) sic exprimit, ut comparet hanc societatem reti, qua capiantur pisces omnis generis,

E 2

quos



quos postea piscatores feligant, et bonis seruatis abiiciant putridos.

Vt etiam contradiceret opinioni, quam fouebant Judaei, *Messiam iudicium laturum esse de gentibus*, eosdemque poenis affecturum⁸⁸), expressis verbis Nicodemo dicit (Joh. III, 17.): *Minime Deus filium misit inter gentes, ut puniret eas, sed ut etiam hae per eum salutem adipiscerentur*, et in locis, quos supra iam laudauimus, (nempe Joh. XII, 31. c. XVI, 11.), affirmat, iudicium hoc eo esse peractum, quod princeps huius mundi eiiciatur foras atque puniatur, non ergo aliud exspectandum esse iudicium magna cum gloria ferendum; hoc enim re vera consistere in eo, quod doctrina ac morte sua omne malum auferret, et quod iam ab ipso perageretur.

Cum hoc etiam maximus alias Judaeorum error, ac consilio Jesu plane contrarius, coniunctus erat hic, quod populus sibi persuaderet *beneficia a Messia exspectanda pertinere solummodo ad gentem Israeliticam*, caeteras vero ab iisdem fore exclusas. Firmitius quidem iamiam huius opinionis corruit fundamentum, si iudicium de gentibus ferendum non locum habuerit, vt modo vidi mus. Sed etiam verbis atque factis Jesus ostend-

⁸⁸) cf. supra p. 33. et 42.

ostendit, se omnes omnino homines seruare
 atque beare velle. In colloquio enim illo,
 quod habuit cum Nicodemo, iisdem verbis,
 breui ante allegatis (Joh. III, 5. 6.), diserte
 docet, per natuitatem naturalem nullum
 acquiri posse ius praecipuum in beneficia
 regni Messiae, non ergo hac in re quidquam
 valere, vtrum quis sit natu Judaeus, an gen-
 tilis, sed vnumquemque se hac felicitate red-
 dere debere dignum per emendationem ani-
 mi, et initiari baptismo; ac deinde tam vni-
 uerse loquitur, vt iure putare nemo possit,
 hanc salutem vnice ad certum quandam po-
 pulum pertinere. *Omnis*, ita dicit, (Joh.
 III, 15-17.) *qui mihi credit, non interibit,*
sed felicitate fruetur aeterna. Ita enim
Deus homines amauit, vt filium suum uni-
cum tradiderit, cui qui fidem habet, a mi-
seria liberatus felicitate fruetur aeterna.
Nec puniendi gentes causa Deus filium suum
inter homines misit, sed potius eas beandi.
 Deinde fiducia centurionis Capernaumitici
 commotus comitantibus: *Multi*, (Matth. VIII,
 11. sq.) inquit, *ab oriente venient et occasu*
participes felicitatis in regno Messiae spe-
randae; *ii vero, quibus primum fuerat de-*
stinata, ab illa excludentur eruntque miseri,
 quod et alia occasione repetit iisdem fere
 verbis (Luc. XIII, 28-30.). Imagine qua-
 dam idem affirmat (Luc. XIV, 16. sqq. et si-
 mili fere Matth. XXII, 2. sqq.) desumpta a viro,
 qui epulo parato per seruos inuitat coniuas,

E 3

qui,



qui, quum sese variis excusarent negotiis,
 ab hoc conuiuio excludebantur, quorumque
 loco adduci iubebat dominus homines gene-
 ris omnis. Huius imaginis si explicationem
 petimus, sine dubio haec est: ita Judaei,
 felicitate regni Messiani, quae primum illis
 est oblata, quum eam vilipenderent, non
 fruentur, sed deferetur ea ad gentes, illam
 minime exspectantes, atque ita gentiles feli-
 citatem adipiscuntur maiorem Judaeis. Idem
 fere sensus est narrationis de operariis in vi-
 neto, qui interfectis legatis et adeo heri filio,
 a domino ipso puniuntur et e loco suo ei-
 ciuntur, qui traditur viris frugi melioris
 (Matth. XXI, 33. sqq.); cui Jesus ipse minas
 addit (v. 43.): *Dico vobis, admetur vobis
 Dei regnum gentibusque tribuetur, quae
 praeceptis in eo seruandis obtemperant.*
 Docet praeterea (Joh. X, 16.) dum sese bo-
 num appellat pastorem, *sibi esse adhuc oves
 alias, non ex hac aula, quas etiam addu-
 cere suum esset, quaeque vocem suam sequeren-
 tur, atque cum altera grege sub uno pastore
 essent coniungendae, quo innuere vult, cul-
 tores ex alijs etiam gentibus, cum populo
 Judaico nondum coniunctis, vinculo reli-
 gionis eiusdem Christianae cum cultoribus
 ex hoc populo conuersis esse copulandos.
 Mandatum denique dat discipulis (Matth.
 XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 16.) clarissi-
 mum, *egrediendi in omnes terrae regiones,
 docendi atque baptizandi homines omnes,*
atque*

atque hoc modo reddendi felicissimos ⁸⁹⁾). — Ipsa adeo agendi ratione demonstrat, se auxilium laturum esse etiam hominibus, qui populo Judaico non adnumerabantur. Colloquitur enim cum muliere Samaritana, et in ea vrbe per aliquot dies commoratus docet ciues (Joh. IV, 4—42.); sanitatem restituit seruo centurionis Capernaumitici, qui verisimile e Romanorum gente, ergo gentilis, erat (Matth. VIII, 5. sqq. Luc. VII, 1. sqq.); in terra Galilaea aut Samaritana decem sanat leprofos, quorum vnum saltem homo fuit alienigena (Luc. XVII, 11—19.); et commora-

E 4 tur

⁸⁹⁾ Cum hoc mandato minime pugnat prius (Matth. X, 5. 6.) vbi Jesus discipulis, primum inter populares missis, praecepit, ne in terras abeant gentilium et Samaritanorum, sed apud Iudeos maneant. Hoc enim non nisi periculum erat, quo Apostoli muneris sui rationem paulo accuratius discere debant, nec consilii fuit, vt illi latius se se extenderent, priusquam ad negotium tam graue tamque difficile essent aptiores. Serius autem mandatum, vt solet, abolet primum. — Nec contrarii argumenti esse potest responsio, quam Jesus dabant discipulis ac mulieri Cananeae (Matth. XV, 24. sqq. Marc. VII, 27.), se non venisse nisi ad miseros inter Israclitas, nec non minime conuenire homini, cibum adimere liberis, vt eum det canibus. Ipsum enim factum, quum mulieris preces exaudiat, satis demonstrat, Jesum haec dixisse tantum eam ob causam, vt mulieri praebat occasionem declarandi eximiam in se fiduciam, qua exemplum praeclarorum posset esse Iudeis atque discipulis ipsis,



tur apud Zachaeum, qui verisimile erat genitilis (Luc. XIX, 1—10.) quem (v. 9.) vero ipse declarat dignum, qui sit vnum ex Abrahami posteris atque felicitatis hisce destinatae particeps. Quibus factis clarissime demonstrat, vere suum esse consilium beandi etiam gentiles, qui sibi fidem sint habituri, nec Iudeos solum ipsa natuitate iamiam ius acquisuisse peculiare in beneficia Messiae, nec magis populos reliquos a potienda illa remotos esse, nec sine auxilio infelices.

Inter paeconceptas de regno eius opiniones, quibus Jesus ipse contradicit, pertinet denique haec: *alios ipsa natuitate ac dignitate altiorem in eo occupaturos esse locum.* Docet ergo, *in regni sui propagacione nullam rationem dignitatis externae haberi*, sed humillimum in hac vita, alias probum, huius felicitatis aequae dignum esse, immo dignorem, diuite atque honorato. Ita enim (Matth. V, 3.): *Beati, inquit, humiles animo, eorum enim est felicitas in regno Messiae exspectanda.* Felices praedicat pauperes, quia dignissimi sint regno coelesti, miseros contra diuites, qui mercedem suam iam sint adepti, nullam ergo aliam exspectare possint, minimeque diuitias atque honores in hac felicitate capienda aliquid valere; immo difficillimum affirmat esse diutibus, ut huius regni fiant ciues (Marc. X, 24. 25. Matth. XIX, 24. Luc. XVIII, 25.).

Disci-

Discipulis praecipit, illum, qui primum locum inter suos sectatores velit obtinere, omnium esse debere humillimum paratissimumque ad aliis seruiendum (Marc. IX, 34. X, 43. sq. coll. Matth. XX, 26. 27.); iis praeterea, quum de primo loco inter se concertarent, puerulum exempli causa proponit, cui si non similes sint humilitate animi, eos minime regni huius felicitate dignos esse declarat (Matth. XVIII, 1. sqq. coll. c. XIX, 14. Marc. X, 14. sq. Luc. XVIII, 16. 17.). Atque hoc ipso effato confutatur simul eorum opinio, Jesum fore regem aliquem terrenum, ipsosque primos eius in regno ipsius ministros.

Ita ergo Jesus egit, quantum nempe ex exemplis ab Euangelistis memoriae traditis concludere licet, ita doctrina sua opinionibus eorum peruersis clare contradicit, easque simul emendat, quod sine dubio, data opportunitate, saepius etiam fecit et praesertim post redditum in vitam, licet in fragmentariis de vita eius narrationibus, quae nobis super sunt, nihil amplius, ut credo, hac de re legamus. Praeterea autem alia discipulos docuit atque coaeuos, quibus eos rectiori ac digniori de regno ac consilio suo imbueret notione, et hoc modo ideam de Messia in illorum animo sensim magis magisque augeri curauit, cuius argumenti nunc quoque nonnulla addemus exempla.



Sic v. c. quum iter faceret in confiniis urbi-
um tribuum Zabulonis et Naphthalimi, attentos
facit auditores, inter quos etiam erant disci-
puli, tempus iam iam adesse, quo instauran-
dum sit regnum Messiae, eamque ob causam
admonet eos, ut credant animumque emen-
dent (Matth. IV, 17. Marc. I, 14. 15.); docet
inde ab hoc tempore publice in synagogis,
adesse hocce regnum summa cupiditate ex-
spectatum (Matth. IV, 23. IX, 35. Luc. IV,
43. sq.); ad Nicodemum de consilio Dei,
per filium inter homines mittendum, ita
loquitur, ut videat quisque, hunc seruatorem
atque doctorem generis humani iamiam eo
tempore inter viuos exstare (Joh. III, 16. sq.)

Paulo post discipulis, praesentibus etiam
aliis ex populo, in oratione montana pate-
facit, se esse Messiam, dum sibi iudicium
tribuit de sectatoribus suis ferendum, dum:
Non omnes, inquit, (Matth. VII, 21—23.)
*qui me dominum suum profitentur, ad salu-
tem caelestem venient, sed ii tantum, qui*
praeceptis obtemperant patris mei coelestis.
*Multi aliquando prouocabunt ad doctri-
nam, quam iussu meo tradiderint, ad dae-
mones mea auctoritate electos, ad miracula*
meo nomine patrata &c. quibus verbis ostendit,
se omnia cum legatis facturum esse,
*quae Judaei a Messia exspectabant, ex qui-
bus ut conclusionem eliciant ipsi, quis sit,*
illos excitat. — Idem innuit, dum de-
Jo-

JohanneBaptista testimonium profert, hunc esse Eliam illum, in libris sacris promissum, prae-
gressurum sibi, vt viam pararet (Matth. XI,
10. Luc. VII, 27.) Si vero Johannes est
Elias ille, nonne tacite Jesus eo ipso profi-
tetur, se ergo esse Messiam ipsum, ante quem
exspectarent Eliam? — Prouocat alia occa-
sione ad patrem, qui per miracula, quorum
patrandorum vim sibi tribuisset, testimonium
det euidentissimum, eum, cui tantam dede-
rit vim, filium suum esse ac legatum diuinum
et quum ipse sese appellat filium Dei, hoc
nomine dignitatem sibi tribuit Messiae. (Joh.
V, 19. sqq.) ⁹⁰⁾ Ablegit praeterea (v. 39.)
audi-

(90) Fuit enim θεος Ιησος ex Iudeorum loquendi
ratione nomen Messiae solemne, et fatis notum,
et supra not. 50. p. 36. et Döderlein *Inst. Th.*
Cbr. P. I. §. 105. Obs. I. Licet vero Jesus hac
appellatione bono vtatur consilio, cum eadem
autem sensum aliquem altioreum connectere mihi
videtur, quam Judaei, quem in posterum etiam
discipuli et apostoli in libris suis ei tribuunt, de
natura scilicet ea atque diuinitate, qua similis est
patri, eique ὁμοστοιχος. Sic etiam res se habe-
bat Joh. X, 29. sq. — Schlegel erneuerte Er-
wägung d. Lebre v. d. göttl. Dreieinigkeit Th. I.
Riga 1791. p. 262. sqq. contendit, hoc nomen
tribui J. Ch, quia sit omnium, qui hac appellatione
insigniuntur, dominus maximus, s. quia sit Deo
carissimus. — Assentiri vero non possum Loefflero
in tractatu: *Kurze Darstellung der Entstehungsart*
d. Dreieinigkeitslebre, annexi libro: *Versuch*
über d. Platonismus d. Kirchenväter, übers. v.
Loeffler 2, Aüfl. Züll, u. Freist. 1792. qui p. 383.
huius



auditores, qui libros sacros diligenter scrutabantur, persuasione ducti, in illis reuelari modum salutis aeternae adipiscendae, ad ipsum hunc codicem, ut animaduertant, testimonia atque vaticinia, quae in illo de Messia inuenire sibi putarent, bene quadrare in Jesum, omnia in hoc esse completa, se ergo esse verum Messiam, quem exspectarent. Coeco, cui visum restituerat, in templo sibi obuiam venienti, quaestionem proponit: Credisne in filium Dei? eique, ut hunc cognoscat, cupienti: *Ego, inquit, quem vides, qui tecum loquor, ego sum Messias ipse* (Joh. IX, 35. sqq.), quod effatum testimonium fuit simul aliis, qui sine dubio in templo congregati aderant auditores. Vniverso denique populo idem profitetur. Quum enim ipsum circumstantes excitant, ut libere dicat, se esse Messiam, si re vera hoc dicere queat, respondet illis: *Iam vobis dixi, sed vos mihi fidem non habetis, licet miracula ex mandato patris a me patrata testimonium de me ferant evidentissimum.* (Joh. X, 24. sq.) Aliis in locis hancce cum patre coniunctionem diserte affirms, atque contendit, se patrare nihil, quam quae a patre sit edocetus. Sic enim: *Certissime vobis affirmo*, inquit, (Joh.

huius cognominis causam ponit in mandato, quod Jesus a patre, ceu Messias, accepit, cf. p. 392.: Filium unicum eum dictum esse propter negotium in suo genere unicum.

(Joh. V, 19. sqq.), *filium nihil efficere posse sua ipsius voluntate, sed tantum ea, quae a patre facta esse viderit; quae enim hic facit, ea etiam filius simili modo patrat &c.* et ex his simul elicit conclusionem (v. 23.), *omnium ergo esse, venerari filium eodem honore, quam patrem; eum enim, qui filium non colat, minime colere patrem, qui hunc miserit.* Clarissime porro: *Ego, inquit (Joh. X, 30.) cum patre arctissime sum coniunctus, eadem cum patre fruor potestate, eademque voluntate; et in precibus egregiis, quas nobis conseruauit Johannes (c. XVII.) inter alia haec a patre pro salute discipulorum atque omnium doctrinae suae assecularum precatur (v. 21. sqq.): Omnes inter se sint unanimi; quemadmodum enim tu, pater, mecum, et ego cum te, sumus coniuncti, ita et illi mihi sint adstricti. Opto, ut hoc signo etiam infideles sibi persuadeant, me a te esse missum.* Eandem, *quam mihi trubuisti, gloriam cum illis communicabo, ut inter se copulati sint, sicut et nos sumus coniuncti &c.* — Evidentius autem demonstravit, se esse Messiam, quum Hierosolymam intraret asina vectus ac comitatus a multitudine populi, quorum plurimi miraculis eius, et praecipue nouissima Lazari e sepulchro, resurrectione (Joh. XII, 9. 17.), edocti eum pro Messia certissime habebant, hancque animi persuasionem prodebant actionibus et exclamacione: *Benedictus fit rex,*
qui



qui venit auctoritate Dei! Laudetur Deus in coelis! (Matth. XXI, 1. sqq. Marc. XI, 1. sqq. Luc. XIX, 29. sqq. Joh. XII, 9. sqq.) Jesus enim, qui aliis occasionibus summa diligentia euitauerat eiusmodi populi facta, hac vice tale gaudii testimonium permittit, quod dignitati suae erat consentaneum, quodque vix supprimere potuisset, sed per totum agendi modum et praecipue per calamitates, quas, paucis diebus interiectis, sponte suscipiebat, simul ostendit, longe alia a se esse exspectanda, quam quae plurimi inter hos, qui se sequerentur, verisimile sibi imaginabantur ⁹¹). Alia eodem tempore actione prodit, suum esse, emendare Dei cultum atque varios abolere abusus, nec non magna se gaudere auctoritate et potentia, quum e templo eiicit emtores atque venditores, et corruit mensas nummulariorum eorumque, qui vendebant columbas (Matth. XXI, 12. sqq. Marc. XI, 15. sqq. Luc. XIX, 45. sqq. ⁹²). — Ex quibus omnibus discipuli atque

⁹¹) cf. Hess Gesch. Jesu, Buch IX, c. I. et Semlers Beantw. d. Fragm. eines Ungeaunten, insbesondere v. Zweck Jesu u. seiner Jünger. Halle 1779, p. 230. sqq.

⁹²) Similis Jesu actio narratur Joh. II, 13. sqq. quae utrum sit eadem cum hac electione, an a Jesu repetita vice hoc factum, definire certo non possumus, licet mihi primum verisimilius esse videatur. cf. Hess Gesch. Jesu B. I, c. 3. Separatim vero

atque auditores bene colligere poterant, eum esse Messiam illum a Deo hominibus promissum datumque, sed et iisdem sibi persuadere, hunc non esse eiusmodi, quam expectabant, regem nempe terrenum atque restauratorem reipublicae. — Se quidem regem esse, minime negabat, alium vero, quam putarent, et multo excellentiorem, docebat. Sic v. c. Phariseis quaestionem proponit: quidnam illis videatur de Messia, cuius fit filius? Quum vero ei respcionem dant ordinariam: Dauidis: attentos eos facit ad ipsius regis effatum, ubi a vate appellatur dominus, ut eo innuat dignitatem suam Dauidis multo excellentiorem; conclusionem autem, quisnam ergo sit ipse, illis permittit. (Matth. XXII, 41. sqq. Marc. XII, 35. sqq. Luc. XX, 41. sqq.). Optime vero ipse nos edocet de regiae dignitatis suae indole, quum a Pilato interrogatus: vtrum re vera rex sit Iudeorum, huic respondit (Joh. XVIII, 33. sqq.): *Regnum meum minime est simile terrenis; si enim esset eiusmodi, subditi mei pro me pugnaturi essent, ne Iudeorum potestati subiicerer; sed nunc regnum meum tale non est.* His verbis commotus Pilatus quum denuo interrogaret: nonne ipse confessus es, te esse regem? Jesus: ita est, inquit,

vero utramque enarrat Michaelis in Harmonia Euang. n. 18 et 90, v. Ej. Einleitung P. II §. 127. Ed. IV.



inquit, *vt tu dicas, me esse regem*, sed statim addit, aliud suum esse consilium, quam *vt imperet, potius se natum esse et inter homines vixisse eam ob causam*, *vt doceret veram religionem*. Hoc effatum vero, quod coram iudice dedit, eo magis asseclas certiores facere debebat de regni ipsius atque consilii ratione, quum, occasione tam graui, *vt in vniuersa vita, eum certe non nisi vera dixisse, quisque persuadere sibi poterat*, et quum etiam factis iamiam idem confirmauerat. Percipiens enim intentionem populi, qui, ab ipso paucis cibis mirifico modo satiatus, ipsum regem eligere vellet, solus in montem recessit. (Joh. VI, 15.)

Sed *vt discipulos verum suum doceret consilium*, loquitur repetita vice *de morte sua, quae pro salute hominum erat ipsi ex patris voluntate patienda*. Ita enim in colloquio, quod instituit cum Nicodemo: *Quemadmodum Moses, inquit (Joh. III, 14. 15.) serpentem exaltauit in deserto, ita quoque me exaltari oportet, vt quilibet, qui mihi fidem habet, non intereat, sed potius felicitate fruatur aeterna*, quod et postea affirmat his verbis: *Ego non natus sum, vt alii seruant mihi, sed vt ego seruiam aliis, adeo vt vitam meam pro multorum liberatione tradam*. (Matth. XX, 28. Marc. X, 45.) — Ex eo inde tempore, quo e confessione Petri concludere ei licebat, discipulos de dignitate eius

sua Messiana firmiter esse persuasos, aperire coepit illis fata, quae suscipere debebat Hierosolymis (Matth. XVI, 21. Marc. VIII, 31. Luc. IX, 22.), quod et saepius fecit (Matth. XVII, 22. sq. Marc. IX, 31. sq. Luc. IX, 44. et Matth. XX, 18. sq. Marc. X, 33. sq. Luc. XVIII, 31. sq.). Idcirco ipse nominare sese poterat auctorem felicitatis aeternae, dum in loco modo allegato (Joh. III, 16. 17.): *Ita, inquit, Deus amauit homines, vt filium suum unigenitum morti traderet, vt quisque, qui in eum crederet, non interiret, sed felicitatem obtineret sempiternam. Non enim Deus filium inter homines misit eo consilio, vt puniret eos, sed vt bearet illos* ⁹³⁾. — Et ut discipulos admonet, eos non esse nisi doctores hominum, (quod supra vidimus), ita et semet ipsum vnicum appellat doctorem, dum: *Nolite, inquit (Matth. XXIII, 8.), cupidi esse nominis doctorum, unus enim vester est magister* ⁹⁴⁾.

Haec

⁹³⁾ Eandem ob causam phrases: ἐισελθειν εἰς Τὴν βασ. των ἁγ. et εἰς λαον inter se permuntantur, v. c. Matth. XVIII, 3. coll. 8. — v. 9. coll. Marc. IX, 47.

⁹⁴⁾ Licet lectio vulgaris ὁ χριστός additamentum esse videatur, sensus tamen manet idem, quam Christus h. l. sc., tanquam magistrum, apostolis, et discipulis atque fratribus, opponit.

F

Haec vero, quae hucusque attulimus, fere ea sunt, quae in Euangelistarum de vita Jesu narrationibus iuuenimus effata, quibus opinionibus peruersis discipulorum de regno suo contradiceret, eosque meliora edoceret. Minime vero nobis affirmare licet, nos nunc omnia scire; quae Jesus, ut hoc persequatur consilium, docuerit feceritque, quem, ut iam supra admonuimus, nobis non nisi fragmenta de vita orationibusque Seruatoris supersint. Pluribus enim occasionibus Jesus sine dubio Apostolorum sententias correxit atque meliores substituit, quod ab eius sapientia aliter exspectare non possumus, quam ut eos, quos hominum doctores destinauerat, ante omnia meliore atque cum veritate magis consentiente instrueret doctrinam; quod eo securius affirmare nobis licet, quem libri sacri inuuant ipsi, Jesum post resurrectionem, dum inter amicos per quadraginta dies moraretur; aperuisse illis ea, quae ad regni Messiani indolem perspiciendam pertinerent (Act. I, 3.), licet huius institutionis ratio nobis non vberius sit literis consignata.

Statin autem ex his hucusque dictis apparere mihi videtur, quo iure *aut* fragmentorum, quae in bibliotheca Guelpherbytana inuenta esse, prohibet Lessingius editor, contendere possit: *a Jesu verba: regnum coeleste, eodem sensu intellecta esse, quam a Judaeis caeteris, eumque hac de re meliora auditores non*

non docuisse⁹⁵⁾; in orationibus ipsius nullum inueniri locum, quo doctrina de Messia eiusque regno uberior explicetur; Jesum prouocare ad vulgarem de illo spem opinionemque⁹⁶⁾; consilium ipsius fuisse, ut confirmaret auditores ac discipulos in opinionibus falsis, eum enim apostolos non melius instituisse; qui ergo populum rectiora edocere non potuissent, quam quae ipsi, tanquam Judaei, crederent⁹⁷⁾; nec fieri potuisse, quin discipuli systemati de regno Messiae terrestri tam firmiter adhaererent, si Jesus rectorem doctrinam cum illis communicasset⁹⁸⁾, et quae sunt eiusmodi plura, quorum species, quam primo intuitu habere videntur, omnis euangelicit, si modo in memoriam reuocamus pauca haecce iamiam admonita, nempe hanc notionem tam alte animis Apostolorum infixam fuisse, ut multum laboris exigeretur, si breui tempore, quo Jesus docuit, penitus eradicari debuisset, Jesum vero pro sapientia sua non nisi per gradus discipulorum animos illuminare potuisse ac voluisse; — deinde claris verbis dici in euangeliis, Jesum certiores fecisse discipulos de regno suo, quod praecipue

F 2

cipue

⁹⁵⁾ v. Semlers Beantwortung p. 29. sqq. §. 4. et p. 255 ad quem librum mihi est prouocandum, quem editio Lessingii ipsa mihi non est ad manus.

⁹⁶⁾ ib. p. 52. sq. §. 9. et p. 180. §. 29.

⁹⁷⁾ ib. p. 213. et 215. sqq.

⁹⁸⁾ ib. p. 199.



cipue non sine fructu fecit post resurrectionem; — denique: nobis non omnia conservata esse, quae Jesus docuerit feceritque, atque inter haec nobis ignota multa sine dubio reperiiri, quae ad hanc rem pertineant. Plura vero contra has assertiones disputare, non meum esse videtur, otiumque mihi hac in re fecerunt iamiam viri doctissimi, quorum de hoc argumento scripta nemini ignota esse credo.

Progrediamur potius ad *ultimam* huius disquisitionis partem, in qua ostendere sumus politici: *discipulos quoque hac idea peruersa, Messiam nempe regem fore terrenum, affectos fuisse, et quemnam fructum ex hac meliori magistri institutione ceperint?*⁹⁹⁾ In vniuersum si respondere volumus ad hanc quaestionem, historia duce hoc licet affirmare, non multum profuisse hanc institutionem, dum Jesus adhuc in terris vitam degeret, sed post eius mortem, et praecipue post ascensum in coelum, apostolos melioribus atque rectioribus imbutos fuisse notionibus, quantum colligere possumus ex scriptis, quae nobis

scriptis

scriptis

⁹⁹⁾ Non me fugit, huius quaestioneis partem priorem melius fortasse antecedere debuisse disquisitioni: quidnam Jesus fecerit, ut huic opinioni contradiceret? Sed quuin tali ordiae multa hoc loco fuissent repetenda, magis idoneum nobis visum fuit, omnia hoc loco complectendi, quae hac de re e testimoniiis nobis sunt nota,

nobis a nonnullis eorum supersunt. Johannes ipse hoc innuere videtur (Euang. XII, 16.) dum, introitum Iesu in urbem Hierosolymam solemnem narrans atque Zachariae locum adducens, addit: *Discipuli Iesu primo tempore non bene intellexerunt, quidnam haec sibi velint; sed postquam Iesus sublatus erat in gloriae statum, recordati sunt, haecce codicis sacri effata de illo valere, et haec accidere ipsi omnia debuisse.* Et Iesus ipse debilitati discipulorum cedens, quum hoc tempore non omnia ferre poterant, quae ipse illis dicenda habebat (Joh. XVI, 12.) pollicetur illis, fore tempus, quo non amplius imaginibus cum ipsis locuturus esset, ut nunc eos docere oporteret, sed quo libere illis mandata patris esset annuntiaturus (v. 25.), quod et post resurrectionem fecisse dicitur. Act. I, 3. — Ne autem temere dicta haec esse videantur, colligamus vestigia, quae in vitiis Apostolorum huc pertinentia inuenimus, et quidem primum ea, in quibus de apostolis in vniuersum dicitur, deinde etiam vitam persequamur eorum, de quibus adhuc seriora nobis in scriptis ipsorum nota sunt, v. c. Jacobi, Petri, Johannis ¹⁰⁰), vt videamus

F 3

mus

¹⁰⁰) Ad hos tres enim solum mihi respiciendum esse videtur, quum a caeteris Iesu discipulis nulla nobis supersunt monumenta, e quibus seriores eorum de Messia notiones haurire possimus. Quæstio autem: quomodo in Pauli animo haec notio



mus, quantum differant notiones, quas habuerunt Jesu adhuc vivente, ab iis, quas in libris eorum, quos post eius ascensionem literis consignarunt, reperimus.

Quod ergo primum attinet ad locos, vbi narratur aliquid de Apostolis, ex quo pro re nostra quid elicere possumus, nulla vero mentione facta nominis vnius alteriusue singularis, optimum mihi videtur, persequi hos ordine historico, quantum nempe eum adhuc nobis perspicere contingit¹⁰¹⁾. — Notionem vero communem animis Apostolorum etiam fuisse infixam, patere credo ex eo, quod quum primum Jesu miraculum Canae patratum, vinum nempe ex aqua factum, viderent, statim ei fidem haberent (Joh. II, 11.), quia optime hoc magistri bene-

notio sece emendauerit? ad propositum meum pertinere mihi non videtur, partim, quia annumerandus non est discipulis illis, qui ipsa Jesu institutione edocebantur, de quibus hic mihi sermo est; partim, quia desunt nobis indicia, quae ad cognoscendas eius ideas de Messia priores sufficiant; partim, quia verisimile est, eum, quum ad rem Christianam adduceretur, imbutum esse statim notionibus veris, quae tum temporis iam Apostolorum animis erant infixae, quantum colligere nobis licet ex orationibus, quas teste Luca in Actis, variis locis recitauerunt.

¹⁰¹⁾ Quia in re sequar *Synopsin euangeliorum S. V.* Griesbachit, ratione tamen habita harmoniae euangeliorum, quam proposuit Michaelis in *Fanleit.* P. II, §. 127. p. 904—922.

beneficium conueniebat cum notione, quam
fouebant, bene lauteque ipsis in regno
Messiae, tanquam in epulo, esse viuendum,
nihilque defuturum, quod ad vitam splen-
didam pertineret gaudiisque plenam. —
Mirantur postea, Jesum colloqui cum semi-
na Samaritana (Joh. IV, 27.) quia sine dubio
incongruum putabant Messiae, sermonem
habere cum muliere ex populo ipsis tam
odioso, quia tantum pertineret ad gentem
Israeliticam, caeteras vero nationes a bene-
ficiis, quae Judaeis largitus esset, exclu-
dere deberet ¹⁰²⁾. In sequenti temporis
spatio etiam, quum aliquid Jesu potentiae
documentum conspiciant, praesto est ipsis
exclamatio, se eum agnoscere Messiam.
Ita v. c. videntes, Jesum supra mare ambu-
lantem venire ad nauem, in quo erant, et
ejus nutu procellam cessare, ipsi nauem
ascendenti acclamat: vere tu es Dei filius,
i. e. Messias potentissimus (Matth. XIV, 25. sqq.
Marc. VI, 43. sqq.) Produnt ergo opinio-
nem, se Messiam exspectare potentem, cuius
quum in Jesu videant documentum, statim
pro Messia eum habent, qui talia efficere

F 4

possit

¹⁰²⁾ Minime tamen nego, hanc admirationem ex parte ortum ducere potuisse ab opinione vulgari, qua doctori Judaico prohibitum erat, colloqui cum muliere in platea, ne dum cum propria vxore; qua de re cf. Lightfoot, Schöttgen et Wetstein ad h. I.



possit ac debeat. — Eodem fere tempore tales se gerunt, vt obiurgationem Jesu, eos adhuc valde esse inscios, mereantur (Matth. XV, 16. Marc. VII, 18.) — Manca adhuc fides eorum in Jesum se prodebat ea occasione, dum adductum ad se hominem mutum sanare non poterant, cuius rei causam Jesus ipse postea dicit, quod nullam habuerint in se fiduciam, a se accepturos illos esse vires ad sanandum hunc aegrotum necessarias (Matth. XVII, 14. sqq. coll. 19. 20. Marc. IX, 14. sqq. Luc. IX, 37. sqq.) — Magna afficiuntur tristitia eo tempore, quo Jesus filii repetit, sibi mox mortem cruentam esse patiendam, ex qua vero in vitam restituendus sit. Matth. XVII, 22. sq. Marc. IX, 30—33. Luc. IX, 43—45.) Quamquam enim aliquam huius doloris partem tribuere debemus amori, quo amplectebantur magistrum, tamen, si Marci (v. 32.) et Lucae (v. 45.) verba paullo accuratius contemplamur, nutum mihi continere videntur, aliquid ad hunc moerorem attribuisse incertitudinem, quomodo conciliari possit eiusmodi mors cum dignitate regia, quam tribuebant Messiae, et cum instauratione regni eius, quam adhuc exspectasse eos credibile est; aut utrum et quando tandem instaurandum sit post resurrectionem imperium. Non enim imaginari sibi verisimile poterant, spes suas de imperio aliquando in hoc regno suscipiendo et de felicitate in illo fruenda, penitus vanas fore atque

atque fundamento carentes omni; nec magistrum de explicatione quaerere ausi erant, timentes, ne in eius caderent reprehensionem ¹⁰³). Et quum tandem Hierosolymam ascenderent, magna tristitia erant affecti (Marc. X, 32.), nec, fortasse eandem ob causam, comprehendere poterant Jesu effata eiusdem argumenti (Luc. XVIII, 34.) — Opinionem enim de regno Messiae terreno hoc tempore adhuc animis eorum infixam fuisse, vidimus ex concertatione, quam paulo post in itinere inter se habuerunt, quis nempe eorum supremus sit in regno a Messia instaurando. Sed quia bene sentiebant, hasce notiones, quas animo fouebant, non omnino laude dignas atque ab omni vitio esse remotas, bene recordati, magistrum huic opinioni iamiam contradixisse, quam tamen penitus suppressimere vires eorum adhuc non sufficiebant ¹⁰⁴), tacebant initio, quum Jesus ex iis argumentum colloquii in itinere habitu quae-reret, postea vero nonnulli, qui fortasse minimam huius disputationis partem gesserant, Jesum aggredientes ab eo petunt, ut item hanc tandem dirimat ¹⁰⁵), quod, con-

F 5

uoca-

¹⁰³) cf *Hess* I. c. Buch VI. c. 2.

¹⁰⁴) Quam ob causam hac idea sese liberare non potuerint, ostendit *Hess* B. VIII, c. 3. init.

¹⁰⁵) Ita enim optime mihi conciliari posse videtur narratio Matth. et Marci, quorum ultimus dicit, eos tacuisse, quum Jesus eos hac de re quaereret, alter

nocatis omnibus, etiam iis, qui reprehensionem timentes discedere cupiebant, ita fecit, ut appareret, hanc litem penitus esse vanam, nec inter ipsius sectatores ordinem obseruari quemquam (Matth. XVIII, 1. sqq. Marc. IX, 33. sqq. Luc. IX, 46. sqq.) Nihilo minus, quum ultimum ascenderet Hierosolymam, Johannes atque Jacobus, filii Zebedaei, cum matre a Domino petunt, ut vtrique tribuat summos in imperio suo honores (Matth. XX, 20. sqq. Marc. X, 35. sqq.); adeo, postquam Jesus institutione sacrae coenae verbisque satis demonstrauerat, tempus adesse ad subeundam mortem, hoc momento inter se certant, quis sit eorum primus (Luc. XXII, 24. sqq.). — Ex quibus omnibus conspicuum est, quam alte haec opinio animis eorum fuerit infixa, ut per variam atque repetitam Jesu institutionem eo viuente nullo modo eradicari, nec nisi per peculiare quoddam Jesu auxilium penitus mutari atque emendari potuerit, meliores adeo discipulos ea fuisse imbutos, ut ex exemplo Johannis et Jacobi colligere fas est. — Quod vero Jesum per milites captum defererent ac fuga salutem quaererent (Matth. XXVI, 56. Marc. XIV, 50.) libentius tribuerem curae pro securitate, praesertim quum feruido Petri actu periculum multo maius eis minaretur, quam quod viderint,

alter vero, eos a Jesu petiisse, ut iudicium hac de re ferat.

derint, nunc omnia perdita esse, nec a Jesu captiuo amplius quid sperandum. Attamen eos post Jesu mortem non penitus hanc spem esse oblitos, patet ex responsione, quam Cleopas dedit Jesu resuscitato, quem non nouerat, dum: *Speramus, inquit* (Luc. XXIV, 21.), *illum liberaturum esse populum Israelicis*; et ex quaestione, qua discipuli breui ante eius ascensum in coelos aggrediuntur eum: Domine, num hoc tempore restitues regnum Israeliticum? (Act. I, 6.) Denique aliquo interuallo postea, quam haec acciderant, quum apostoli caeterique fratres in Judaea commorantes acceperint, gentiles adeo hanc doctrinam profiteri, Petrum Hierosolymam reuersum reprehendunt, quod cum eiusmodi hominibus habeat commercium (Act. XI, 1—3.) Licet enim post Petri narrationem intelligent errorem celebrentque Deum (v. 18.), produnt tamen hac obiurgatione, se non meminisse effatum Jesu, gentiles etiam huius felicitatis fore participes, se vero autumasse, Messiam pertinere solum ad Judaeos, neque hunc errorem ex eorum animis totum euanuisse. — Eminens vero fidei in Jesum documentum septuaginta dant discipuli, qui a magistro inter Judaeos missi summo cum gudio reuertuntur, annunciantes ipsi, adeo daemones eius nomine expulsoſ esse (Luc. X, 17.), atque hoc facto antecellunt caeteros, qui talem fidem nondum erant adepti. — Sed post Jesu resurrectionem

ab



ab ipso instituti (Act. I, 3.), longe alias de Messia sentire coeperunt, quantum scilicet concludere nobis licet ex narrationibus et scriptis, quae de nonnullis ex eorum numero supersunt¹⁰⁶), quod nunc aliquot demonstrabimus exemplis.

Jacobum, e. g. ab opinione communī non fuisse liberum, vidimus ex eius petitione iam allegata, vt Jesus nempe ipsi ac fratri summum in regno suo honorem concedat (Marc. X, 35); ac persuasione ductus, cum Messiae aduentu coniunctum fore mundi interitum omniumque rerum renouationem, ac templum ad hoc vsque tempus duraturum¹⁰⁷), quaerit ex eo idem, ac Petrus, Johannes et Andreas, quum vaticinum de Hierosolymae

ex-

¹⁰⁶) Nec hac in re opus est, vt assentiamur auctori Fragmenti, qui, nescio quo fundamento, contendit, apostolos systema mutasse suum de Messia rege terreno, eumque postea fecisse seruatorem totius generis humani, solum vero eam ob causam, quia vidissent, euentum non respondere spei, melius ergo esse, vt aliud fuisse Jesu consilium docerent. v. apud Semler p. 26. 190. sqq. 205. 238. 390. sqq. — Iam satis erit responsione hac breui: discipulos nempe, se errasse, intellexisse, atque a Jesu meliora edocatos, etiam nunc rectiorem doctrinam fuisse professos, quod et inter nos quoquis die accidit. Si enim Jesus docuisset quidquam, quo spem regni alicuius terreni excusare potuissent, sine dubio Euangelistae hoc etiam admonuissent, vt pristinum errorem excusarent.

¹⁰⁷) cf. supra p. 42.

excidio perperam intelligent: quodnam sit signum eius aduentus et finis huius mundi? (Math. XXIV, 3. Marc. XIII, 3. Luc. XXI, 7.)

— Sed Act. XV, 14. libere profitetur, gentiles etiam participes esse felicitatis a Messia accipiendae. Plura vero de doctrina eius, quantum hoc argumentum spectat, meliori testimonio, quantum equidem vidi, nobis litteris non sunt consignata.

Sed ex Petri vita atque scriptis plura haec de re colligere possumus, adductis nempe locis iis, in quibus de opinionibus eiusdem nonnulla narrantur, et ubi de Jesu, tanquam Messia, aliquid affirmat, quod saepius fecit. Fuit enim unus ex primis, qui Iesum agnoscerent Messiam eumque sequerentur, aduocatus a fratre Andrea, qui antea discipulus fuerat Iohannis (Joh. I, 41—43); eamque ob causam eo melius doctrinam Jesu Christi perspicere potuisset, nisi etiam imbutus fuisset notionibus praeconceptis, quae eum impedirent, quo minus statim penitus veritatem intelligeret crederetque. Et si in uniuersum eius agendi sentiendique rationem examinare volumus, perspiciemus, plura ipsius peccata originem ducere ab animi feruiditate quadam atque celeritate in agendo, qua quidem abreptus saepe fecit, quod ipsi primum in mentem venerat, minime perpendens, quidnam ex hac actione sequeretur. Probo enim animo fuit, cuius praecipuum



cipuum testimonium hoc est, quod ipsum fere semper poeniteret, si quid commiserat, quod probari non posse postea videbat. Ex hoc animi aestu explicare nobis quoque licet contradictiones, quas in eius actionibus atque confessionibus reprehendimus, quum hoc tempore praecclare de Jesu sentire videatur, et id verbis probet, alio vero ita agat, ut probe intelligamus, in eius mente tamen falsa multa mixta esse rectis. Sic enim egregie sententiam suam de Messia profert, dum Jesus e discipulis quaerit: vtrum etiam ipsi eum deserere vellent, exemplo aliorum seducti? quo facto respondet Petrus: *Ad quem abeamus? tu doctrinam nobis profers, quae nos felicitatis aeternae dignos reddit ac participes.* Et nos credimus et persuasi sumus te esse Messiam, Dei filium veri (Joh. VI, 67—69.); et alia occasione a Jesu interrogatus: quid ille de ipso sentiat? *Tu es Messias, inquit, filius veri Dei* (Matth. XVI, 16. Marc. VIII, 29. Luc. IX, 20.)¹⁰⁸⁾. Huius Messiae con-

¹⁰⁸⁾ Certe definiri h. l. non audeo, vtrum Petrus verba: *υιον τοῦ Θεοῦ*, intellexerit sensu sublimiori illo, vt postea *πατέρα Θεοῦ* Act. III, 13. 26. an potius significatu ea sumserit tunc temporis consueto, tanquam appellationem insignem Messiae veri a Deo missi; licet posterius mihi sit verisimilius, quum propter locos parallelos, in quibus vnum tantum ponitur, apud Marc. *ὁ χριστός*, et apud Lucam *ὁ χριστός τοῦ Θεοῦ*; tum quia apud

consilium vero non bene perspexisse videtur, licet Jesus iam variis occasionibus contradixerat opinionibus falsis, quas auditorum animis infixas esse sentiebat. Nam quum Jesus ab eo inde tempore inciperet, clarius de passione ac morte sua loqui, Petrus eum secum abducens precibus enixissimis et admonitionibus seriis obtestatur, ne hoc faciat, et ut Deus hoc auertat, optat. Si hac in re statuimus, quod et verisimum est, Petrum eandem fere de Messia notionem fouisse, ac caeteri, eum nempe regem terrenum esse, bene intelligimus, cur tale Jesu consilium populo perniciosissimum ipsi videretur. Credebat enim cum morte Messiae omnem evanescere spem, gentem Israeliticam per ipsum a potestate inimicorum esse liberandam, quod quum ipsi grauissimum videret et exoptatissimum, omni, qua poterat, diligentia Jesum ab hoc consilio studebat auocare^{109).} Vaticinium Jesu de excidio Hierosolymae per-

apud caeteros huius aetatis fere omnes hunc huius formulae significatum reprehendimus, et idcirco, Petrum eodem modo locutum esse, veri simile concludere nobis licet. Ζων vero esse nomen Dei veri, in oppositione contra idola, ex materia quadam inanimi perfecta, vix est, quod montem.

¹⁰⁹⁾ cf. *Hess vom Reiche Gottes* P. II, Sect. XIII, p. 111, 121. et Sect. XIV, p. 151. (ed. Güstr. 1774.) qui ostendit, cur Judaei tam abhorrent a c. gitatione, Messiam esse moriendum.



perperam intelligit cum Jacobo aliisque, ut modo vidimus (Matth. XXIV, 3.); et prae-mium quoddam peculiare pro laboribus exspectat (Matth. XIX, 27. Marc. X, 28. Luc. XVIII, 28.), quamquam Jesus omnibus praedixerat, se illis nulla bona terestria largiturum esse, eos esse potius doctores et pauperes, quum sit ipse diuitiis orbatus¹¹⁰).

Postea

¹¹⁰⁾ Act. III, 21. Petrus utitur formula: ἀχει-
χρονων ἀποκαταστασεως παντων. Quamquam
negare minime cupio, ἀποκαταστασην denotare
posse: correctionem, emendationem (Matth. XVII,
11.) commodumque esse sensum, quem his verbis
ineesse putat b. Döderlein *Inst. Tb. Chr.* P. II.
§. 242. Obs. 2. nempe hunc: Jesus coelo conti-
netur, dum durant tempora doctrinae euangelicae,
coll. §. 223. p. 168. (cf. quoque Erneſti Diff.
in h. I. in *Opusc. theologg.* et Dierelmaieri Diff.
in h. I. Alt. 1746. coll. obiectionibus Ecker-
manni in *theol. Beitr.* 2 Bd. 1. St. p. 186. sqq.)
nondum tamen supra omnem dubitationem posi-
tum mihi videtur, utrum Petrus tunc temporis,
quum haec diceret, ex omni parte liber fuerit ab
opinione vulgari, mox adesse tempus, quo Messias
reversus omnia in pristinum statum restituat, et
idcirco utrum haec verba potius ita sint explicanda
ex Act. I, 6: *Qui in coelum est receptus, donec
restituat omnia, sicut promisit Deus per prophetas
antiquiores*, ut hoc modo huic loco insit opinio
de regno aliquo Christi in his terris restituendo.
Quum hioce Petri effatum ad prima munera
tempora pertineat, auctoritati eius apostolicae non
nocet, etiam si statuamus, hanc ideam de imperio
Christi terreno nondum penitus ex eius animo
fuisse

Postea vero Petrum multo rectius sensisse de Messia, orationes eius et epistolae declarant. Mox enim postquam docere cooperat, in fuisse eradicatam, quod postea fieri poterat et sine dubio etiam factum est. Prouocat h. l. ad promissiones diuinias de Messia, quas cum aliis adhuc de restitutione omnium rerum explicat, quorum de consilio vero in sequenti temporis tractu rectius sentiebat. Ad hanc opinionem delatus esse potest responsione quadam Jesu false intellecta. Jesus enim ipsi dixerat (Matth. XIX, 28.) : *Affirmo vobis, sc̄tatores mei, tempore παλιγγενεσίας* (restitutionis cf. Michaelis Einl. §. 20. p. 141.) *quando ego maiestate fruor summa etiam vos supra omnes elatos fore felicissimos omnibique similes*, quae verba de restitutione quadam sensisse Petrus videtur. Et huius opinionis confirmationem quandam fortassis in eo reperiebat, quod Jesus, quum a discipulis de tempore restituendi regni Israelitici interrogaretur, iis responderet (Act. I, 7.): *non vestrum est cognoscere tempus, quod pater pro voluntate sua decreuit.* Quum magister hanc rem in dubium poneret, licet apostoli verbum αποκαθίσης h. l. sine dubio de restitutione regni terreni sumerent, facile Petrus etiam in opinione sua hac de re ad tempus confirmari poterat, vsque dum insequens tempus et maior ingenii illuminatio eum edoceret, has promissiones longe aliter esse intelligendas. Insignem enim mutationem mox ab eo esse exspectatam, patet ex 1 Ep. IV, 7. quae et sententia Jacobi, fuisse videtur (V, 7. 8.). — Vtrum vero locus 2 Petr. III, 11—14 hanc sententiam quoque innuat, aut de iudicio extremo agat, aut de institutione nouae religionis, definire non est meum.

G



in oratione ad populum libere profitetur (Act. II, 36.): *illum Jesum, quem Judaei cruci affixissent a Deo Dominum et Messiam esse constitutum*, quo effato simul testatur persuasionem rectiorem, ad characteres Messiae non pertinere splendorem externum et diuitias, quas in Jesu nemo vidi unquam. Eo certius vero persuasus esse poterat, Jesum re vera Messiam esse promissum, quum ex ipsis ore hoc acceperat, dum eius coram summo sacerdote datum audiuerat testimonium de se, vbi interrogatus: *vtrum vere sit ille Messias, Dei filius?* respondit: *Sum, vti dicis, et ab hoc tempore me multo maiora facturum videbitis* (Matth. XXVI, 63. 64. Marc. XIV, 61. sq.) ¹¹¹). Hac assertione fretus Petrus summa cum fiducia nunc qualibet occasione Jesum cruci affixum annunciat tanquam Messiam, eique tribuit nomina et actiones, quibus summam eius dignitatem demonstrat, atque consilium eius tali viro dignissimum fuisse probat. Ut enim *gloriam* eius maximam describat, eum diserte appellat *piada Ies*, filium Dei arctissime cum ipso coniunctum eique carissimum, quem pater e

mor-

¹¹¹) Petrus enim in atrio stabat, vt e longinquo Jesu fata ipse eo certius cognosceret, ac se se calefaciebat (Matth. XXVI, 58. Marc. XIV, 54. Luc. XXII, 55 Joh. XVIII, 15. 16. 25) sed ita se se collocauerat, vt omnia videre posset, quae cum Jesu fuerent (Luc. XXII, 61.).

mortuis resuscitasset et summa condecorasset
 gloria (Act. II, 13. 26.); affirmat porro,
 Jesum in coelum receptum nunc sedere ad
 dextram Dei, simili cum Deo frui gloria et
 honore, subiectosque ipsi esse angelos atque
 potentissimos omnes et elatos (Act. III, 21.
 1 Petr. I, 21. III, 22.); eum a Deo consti-
 tutum esse iudicem hominum omnium tunc
 temporis viuorum mortuorumque (Act. X,
 42.); prophetas per spiritum Christi ipsis
 datum praedixisse calamitates et gloriam
 insecuritatem, dicit (1 Petr. I, 11.); illi deni-
 que adorationis honorem tribuit, dum: *per*
quamlibet actionem, inquit (1 Ep. IV, 11.),
glorificetur Deus per Jesum Christum, cui
sit gloria et potentia in omnia saecula! et
 epistolam secundam ita concludit (c. III, 18.):
Crescite amore et cognitione Domini nostri
et Servatoris Jesu Christi, cui sit gloria
uti nunc, sic et in perpetuum! — Multo
 dignius etiam sentit de *consilio*, quod Jesus
 persequi vellet, dum viueret in his terris.
 Excepto enim loco dubio, et e priori mune-
 ris tempore desumto, quem adduxi, in eius
 scriptis, nullum amplius inuenimus vestigium
 opinionis illius peruersae, cui, vt caeteri
 Jesu discipuli, Petrus quoque addictus erat,
 de regno nempe Messiae terreno et de resti-
 tutione reipublicae Judaicae. Affirmat potius,
 Jesum esse doctorem uniuersi generis humani,
 non ergo adhuc eum regem fibi fingit poten-
 tem, in cuius beneficia Judaei tantum juris

aliquid sibi acquisiuissent, sed ut beatorem hominum omnium ex qualibet gente ac religione. Sic enim alloquitur Iudeos (Act. II, 38. 39.) : *Ad frugem redeatis, et quisque baptismum suscipiat in nomine Jesu Messiae, ut remissis peccatis vestris accipiat dona Spiritus.* Etenim annunciata est doctrina haec laetissima vobis liberisque vestris et hominibus omnibus, qui habitant terras remotissimas, quosque Deus ad religionem Christianam adducet. Et quum postea visione quadam admonitus proficeretur Caesaream, ut videret atque doceret Cornelium, centurionem legionis Italicae, religioni gentili addictum, ita exclamat: *Re vera nunc compario, Deum non habere personarum rationem, sed acceptum ei esse quemlibet ex omnine natione, qui eum colat exerceatque virtutem,* (Act. X, 34. 35.) et se contra caeterorum approbationem eodem modo defendit (c. XI, 2. 18.). — In epistolis deinde minime docet, nobis exspectanda esse a Jesu beneficia terrena, eum esse regem potentem, quin potius affirmat, per mortem eius nobis recuperatam esse salutem atque liberationem a peccatis nostris, quamquam ipfi antea incongruum videretur, Messiae mortem esse subeundam, ut officio satisfaciat suo. Nunc vero ita scribit (Ep. I, c. I, 18—20.): *Perpendite, vos liberatos esse a vanis moribus vestris patriis, non re aliqua caduca, veluti argento aut auro, sed sanguine pretiosissimo*

Mes-

Messiae, utpote agni puri et integri, qui quidem inde a mundi initiosis promissus est, manifestatus tamen vobis his uestris temporibus (item c. II, 21.) porro; (c. III, 18.) Messias aliquando pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, ut nobis aditum ad Deum pararet; ita et c. IV, 1. et 2 Ep. II, . Act. X, 43. Et eodem sensu ac respectu nominat eum $\tau\alpha\tauηρα$, seruatorem beatoremque (1 Ep. I, 1. II, 3.) significatu multo altiori ac digniori, quam quo ille hoc idem nomen antea sine dubio tribuerat Messiae, quum adhuc seruatorem e seruitute exspectaret. Beneficia ergo, quae his locis Messiae esse docet, minime sunt bona terrena, sed remissio peccatorum, expiatio cum Deo et in eum fiducia. In vniuersum denique Messiam ceu felicitatis summae auctorem vnicum repetita vice describit. Nam eum appellat $\epsilon u \lambda o \gamma \sigma \eta \alpha$, benefactorem (Act. III, 26.) et diserte dicit (c. IV, 12.): per nullum alium quaerendam esse salutem, nec ullum alium in his terris destinatum esse hominibus, per quem seruari possimus, atque pollicetur nobis aditum ad regnum aeternum Domini nostri etiusdemque seruatoris Jesu Messiae. Et si hisce dictis Petri addimus eius facta, his etiam probatur, eius notionem de Messia et in primis fiduciam in illum magnum cepisse augmentum magnamque emendationem. Longe alienus enim a paruitate animi, qua priore aliquo tempore impediti Apostoli daemonia-

102

cum sanare non poterant (Matth. XVII, 16.), nunc veritatem promissionis Jesu (v. 20.) expertus, omni fiducia Aeneam paralyticum ita alloquitur (Act. IX, 33. sq.): *vi Jesu Christi sanaberis, surge et sterne tibi ipse lectum*, quo verbo huic viro sanitatem restituit; et Tabitham reuocat in vitam exclamatione: *resurge!* (v. 36—41.) — Haec vero omnia Petri dicta atque facta si ita contemplamur eaque comparamus cum anteriori agendi ratione, discriminem satis magnum inter vtramque inueniemus, licet non accurate definire possimus modum ac tempus, quo haec mutatio in eius animo facta sit. Perspiciens sine dubio notionum de Messia, quibus adhuc fauebat, falsitatem, edoctus experientia et meliori magistri institutione, atque vi altiore diuina instructus, pro amore in Jesum et animo feruido ac pro studio flagranti, rem Christianam augendi, nunc cupide meliorem accipiebat doctrinam, atque ita continuata meditatione eo venit, ut obiectis erroribus nunc vera doceret coaeuos verbis litterisque.

Sic autem, ut in Jacobo et Petro, de quo plurima nobis hac in re superfunt monumenta, vidimus, sine dubio res se habuit quoque in caeteris Jesu discipulis, de quibus vero iudicium ferre nequimus, quomodo in ipsorum animis haec notio clariorem sensim acceperit lucem, deficientibus narrationibus
aut

aut scriptis, e quibus elicere possimus ea, quae ad hanc rem dirimendam pertineant. De solo Johanne vero nonnulla de hoc argumen-
to addere possumus. Et quidem e vita
ipsius ante Jesu ascensum in coelum pauca
nobis supersunt, e quibus notiones ipsius de
Messia cognoscere licet. Quamquam mox
initio muneris Jesu huius discipulus fieret
atque sedator ¹¹²⁾, tamen non omni ex
parte liber fuisse videtur ab opinione vul-
gari de Messia, licet negare minime cupio,
eum a Johanne Baptista praeparatum atque
edoctum in multis aliis rectius sensisse, quam
caeteri, qui non instructi accederent ad
Jesum. Eodem modo, ac Petrus, Jacobus
et Andreas, ex Jesu quaerit, quodnam sit
signum aduentus eius et quando hoc
faciendum sit? (Marc. XIII, 3.) in quibus
sine dubio eodem modo cogitauit, quam

G 4

cae-

¹¹²⁾ Colligere nempe hoc licet e narratione ipsius Eu. I, 44. Dixerat v. 37. duos Johannis Baptiste discipulos secutos esse Jesum, quorum unum fuisse Andream, tradit v. 41. alter vero verisimiliter ipse fuit. Mos enim est, si sui ipsius mentionem facit, loqui de se semper paraphrastice; appellat se e. g. discipulum, quem Jesus amabat, siue qui ad Jesus pectus iacebat, et h. l. pro modestia de semet ipso tacet, quum lectors facile diuinari poterant, aut iamiam amici ab ipso cognouerant, quisnam sit alter, quem non nominat. Si enim alias quis fuisset, huius etiam nomen sine dubio adduxisset.



caeteri. Et fortasse sibi singebat Iesum regem quendam potentissimum, dum ille et Jacobus eum exitabant, ut puniret incolas urbium Samaritanarum, qui eum hospitio recipere recusauerant. (Luc. IX, 54.)¹¹³⁾.

Praeclarissima autem de Iesu eiusque dignitate ac munere testimonia Johannes fert in scriptis, quum in Euangeliō, tum in Epistolis et Apocalypsi¹¹⁴⁾ , ex quibus patet,

¹¹³⁾ Ex additamento: vti et Elias fecit, non necessario sequitur, Johannem sibi cogitasse Iesum similem Eliae, ergo prophetam, sed tantummodo exemplum ex historia addit, simile quid iam a Deo esse factum (2 Reg. I, 10. sqq.), prout nempe Joh. sibi hoc factum cogitabat, quod fortasse traditioni atque narrandi modo multum debet miraculosi, cf. Eichhorn Bibl. der bibl. Lit. IV. Bd. 2 St. Lpz. 1792. p. 193. sqq. et imprimis de hac historia p. 244. sq. — Et praeterea horum verborum in textu graeco authentia non supra omnem dubitationem posita est, quare ea etiam notauit S. V. Griesbachius.

¹¹⁴⁾ Apocalypsin etiam inter Johannis scripta refero, quum nondum definita sit lis, utrum iure possit alii adscribi auctori, et quum viri doctissimi, inter quos recentissimum commentatorem huius libri, Cel. Eichhorn, nominare satis erit, hunc librum tribuant Johanni. — Nec in persequendis horum scriptorum locis ordinem temporis obseruare poterimus, et inde elicere modum emendationis notionum Apostoli, quum non certe constet, quoduaen primum sit, Euangelium an Apocalypsis, (hanc enim esse priorem, et postea datis histo-

Eum magnifice atque verissime de Messia sensisse, quod ex exemplis, quae adducemus, clarum fiet. — Summum enim, quod de Christo dicere poterat, erat hoc, eum esse Deo similem, immo Deum ipsum; et hoc de eo affirmat verbis disertis. Quum nempe *filium Dei* eum appellat (v. c. Joh. III, 36. I. Joh. I, 3. II, 23. IV, 15. V, 5. 20.) non amplius eo nomine insignire vult, Jesum esse Messiam promissum, sed hoc additamento demonstrat excellentiorem eius dignitatem, qua Deo ipsi sit aequiparandus. Quando etenim de eo dicit ὁ λόγος homo factus est et inter nos commoratus, et vidimus eius maiestatem, talem scilicet, quam habet filius apud patrem unigenitus (carissimus), qui et auctor est doctrinae saluberrimae (Joh. I, 14.)¹¹⁵⁾.

G 5 mahl. 11. dein
nihil.

historicis auctam forte atque exornatam, dictionis feroꝝ et viuacitas minime improbabile reddit) sed ex libris Johannis omnibus loca, quae eandem proferunt sententiam, adducemus, ordinem sequentes, ut vocant, realem, idque etiam eam ob causam, ne eadem iam dicta repetere cogamus.

¹¹⁵⁾ Quisnam hoc capite fit ὁ λόγος, quisque facile videt, Jesum Christum ita a Johanne appellari. Rationes vero, cur hoc nomen auctor elegerit, varias ex historia philosophiae et philologia proferunt viri doctri, quas omnes hic recensere non opus nec locus mihi videtur. Maxime probabilis ex huius verbi explicationibus, mea quidem sententia, est eorum, qui λόγος interpretantur: promissus, aut doctor, auctor λόγος, ut Cramer in Bei-

deinde: (v. 18.) *Deum nemo unquam vidit, sed filius eius unigenitus (dilectus), qui in patris sinu est, nos eum recte docuit, facile apparet, Johannem loqui de filio quodam Dei, solo Messia, quem vulgo ita nominabant, longe altiori, eiusque de Messia sententiam fuisse dignissimam, dum hunc sibi cogitaret elatum supra omnes, et prope ad Deum accedentem.* Quid? quod ipse affirmat, Messiam vere *Deum esse*, dum: *Initio, inquit (Joh. I, 1.) iamiam aderat doctor ille promissus, qui erat apud Deum, immo Deus ipse; et alio loco (Joh. V, 20.): Scimus in mundum venisse Dei filium, qui nos instituit, ut verum cognosceremus Deum, ac cum ipso essemus coniuncti per eius filium Jesum Christum, qui et verus Deus est et dator felicitatis aeternae*¹¹⁶⁾. Idem quoque eo testatur, quod

Messiae

*Beiträgen &c. Tom. I, p. 213. sq. atque Döderlein
Inst. Tb. C. Vol. II. §. 105. p. 355. siue malim
coniungere vtrumque, vt λόγος fit promissus
melioris religionis auctor. — Verba autem*

Χαρίστος καὶ αἱληθεῖας per hendiadyn dicta mihi
videntur pro: *vera religione saluberrima beneficia
multa largiente, sc. pro: beneficiis per veram re-
ligionem hominibus tributis.*

¹¹⁶⁾ Bene noui, a multis viris doctissimis ultima verba:
*ἀλογος εστιν οὐ τ. λ. trahi ad antecedens τον αἱληθεῖον
sc. πατέρα.* Quum vero facilius ac usui loquendi
accommodatus sit, vt *ἀλογος* referatur ad subiectum
proximum, quod h. l. est: *Ιησος Χριστος*; et
quum

Messiae tribuat opera diuina, v. c. creationem (Joh. I, 3.) his verbis: *per λόγον
omnia sunt facta, neque ullum quid, quod
factum est, sine eo est creatum; ac omniscienciam,* dum eum inducit ita loquentem (Apoc. II, 23.): *Ego scrutor renes et corda atque
vnumquemque vestrum pro factis suis remu-
nerabor*¹¹⁷⁾; atque in Apoc. (V, 12. 13.) angelos innumeros vidit, agnum, quo designare Messiam solet, aequa ac Deum ad-

ran-

quum filius frequentissime, pater autem, quod memini, nunquam, dicitur auctor vitae aeternae; et quum ex aliis Johannis locis, in quibus Jesum vel vocat Deum, (Joh. I, 1.) vel ei assignat attributum diuinum (Joh. I, 3. Apoc. II, 23. V, 13.) patet, eum de diuina Jesu Christi natura fuisse persuasum, equidein haecce verba de Christo dicta esse puto, eaque continere Johannis de diuinitate Christi testimonium.

¹¹⁷⁾ Probare etiam solent nonnulli ex Apoc. aeternitatem Christi, nempe ex nomine, quo vtitur Johannes: A et Ω. primus et ultimus, qui est, erat ac futurus est, c. I, 8. II, 8. XXII, 13. Sed c. I, 8. fine dubio non Messias inducitur loquens, sed pater, qui v. 4. eodem nomine insignitur et a Christo distinguitur; alias enim, si essent verba Messiae, huic loco nouum inesset pro diuinitate Christi argumentum, si nempe lectionem veram, a Griesbachio in textum receptam; *λεγει κυριος ο Θεος*, quod vero et de patre saepissime dicitur. Aequa incertum est c. XXII, 13: et c. II, 8. certe Jesus ita appellatur, quia describitur tanquam is, qui mortuus est atque rediuius.



Tantes et ita canentes: *Dignus est agnus
macratus, cui tribuitur potestas, diuitiae,
sapientia, vis, honor, laus et gloria, quo-
rum laudes repetunt creaturae omnino om-
nes his verbis: sedenti in solio et agno, sit
laus, honor, gloria et imperium in saecula
sempiterna!* — Deinde docet, regnum
Messiae, non solum pertinere ad Iudeos,
sed et alios quoque homines ex qualibet
gente, dum Eu. I, 13. affirmat, esse perin-
de, si quis Deo carus fieri velit per fidem in
Messiam, vtrum sit natione Iudeus, et
vtrum illegitimo modo natus an ex parenti-
bus legitimo coniunctis vinculo; dum (Ep.
II, 2.) scribit: *Iesus Christus est propitiator
peccatorum nostrorum, non vero nostrorum
tantum, sed uniuersi generis humani;* et
dum (Apoc. V, 9.) fingit quatuor animalia
et viginti quatuor seniores ante agnum pro-
stratos hoc nouum cecinisse carmen: *Dignus
es, qui accipias librum, eiusque sigilla re-
soluas, quoniam macratus es, nosque Deo
redemisti sanguine tuo ex omni gente, lingua,
populo atque natione!* — Beneficia vero,
quaes a Christo cuique eius sectatori exspecta-
re licet, haec esse dicit, ut eius morte ve-
niam adepti simus poenarum per peccata nostra
apud Deum contractarum. Etenim eum ap-
pellat *σωτῆρα τὸ ποτὺς* (1 Ep. IV, 14.) et
praeter locos, modo adductos (1 Ep. II, 2.
Apoc. V, 9.) hac de re aliis etiam loquitur ver-
bis, his nempe (1 Ep. I, 7.): *Per mortem Jesu
Chri-*

Christi, inquit, nos liberamur ab omni peccato; deinde (c. III, 5.): Scitis, illum venisse hac de causa, ut nos a peccatis redderet immunes; porro (c. IV, 10.): Eluxit imprimis amor ex eo, quod quum Deum non amauissimus, is tamen adeo nos adamarat, ut daret nobis filium suum propitiatorum peccatorum nostrorum; denique (Apoc. I, 4.) septem in Asia ecclesiis bene precatur a Deo et a Iesu Christo, qui nos ita amauit, ut liberaret nos morte sua a peccatis nostris. Atque idem probare vult eo, quod Messiam appellat agnum Dei, qui ferit peccata hominum (Apoc. V, 6. 12. 13. VII, 17.) imagine usus a sacrificandi ritibus V. T. et e sermone Johannis Baptiste (Joh. I, 20. 36.), cuius discipulus antea erat, petito. — In uniuersum denique eum, tanquam felicitatis nostrae auctorem, laudat, quia a Deo missus sit, ut nos redderet beatos (1 Ep. IV, 9.), per quem si ei adhaeremus, felicitatem aeternam adipiscemur (c. V, 11—13.), cuius auctor ipse est, ac dator (v. 20.); eum docet, daturum nobis esse vitam beatissimam, quam ita describit (Apoc. VII. 15—17.): Qui calamitate sunt erepti, stabunt coram Dei solio, eumque in templo dies noctesque colent, et apud eos manebit is, qui sedet in throno; non amplius esurient, nec sitiunt, nec eos sol feriet aut aestus, quia agnus, qui est in solio, pascat eos, et ad fontes saluberrimos (e lectione Griesb. ζωης) ducet, atque Deus abster-



absterget ex eorum oculis lacrimam omnem,
quibus addit (c. XXI, 4.): ibi non amplius
mors erit, neque luctus, neque querelae,
neque labor erit amplius. Et descriptionis
praeclarissimae vrbis, Hierosolymae nouae,
cuius incolae erunt felicissimi (Apoc. XXI,
10—XXII, 5.) fortasse idem est sensus, nempe
exspectandam esse aliquando Christianis veris
atque constantibus felicitatem a Messia sum-
mam et aeternam.

De caeteris vero Apostolis et de emen-
 datione notionis, quam de Messia habebant,
 in eorum animo, certi nihil amplius con-
 stat ¹¹⁸). Aliter autem fieri non poterat,
 quam

¹¹⁸⁾ Thomas quidem quum Jesum rediuium ipse
 consiperet, exclamat: *Mi Domine ac mi Deus!*
 (Joh. XX, 28.) Sed haec verba non tanquam me-
 lioris cognitionis documentum laudarem, quum
 valde sit incertum, vtrum haec exclamatio profecta
 sit tantum a stupore, hoc sensu: mi domine ac
 deus, quomodo tam incredulus esse potui! an a
 rectiori persuasione. Etsi hoc esset, nihil amplius
 tamen continere mihi videtur, quam confessionem,
 se nunc Jesum agnoscere verum Messiam, quod
 iam antea Petrus erat professus. *Θεος* nempe ipsi
 idem esse potest, quod *υιος Θεος*, nomen scilicet
 Messiae. Eum enim tunc temporis diuinam Christi
 naturam iam perspexisse, vix est quod credamus; quem
 vero Jesum ipse videret viuum, cuius resurrectio-
 nem hucusque non credebat, hoc conspectu facile
 certus fieri poterat, Jesum esse verum Messiam,
 atque hanc persuasionem exclamatione testari.

quam ut melioribus postea imbuti sint notionibus, quum destinati essent hominum doctores, qui ipsi antea meliora nosse deberent, quam alios docere vera possent. Ut vero a Jesu sapientia exspectare nos oportet, eum optima cognouisse atque adhibuisse remedia, ut debilitati discipulorum succureret, ita et euentus docet, eorum sententias subsequenti vitae tempore a prioribus, non ex omni parte puris, fuisse longe diuersas. Concludere enim fas est ab illis, de quorum opinionibus ex vtraque vitae periodo nobis supersunt monumenta, ad eos, de quibus nihil amplius hac de re nobis constat. Quum enim omnes ad idem munus sese praepararent et idcirco simili Jesu institutione fruerentur, qua post resurrectionem eorum notiones peruersas atque mancas emendare studebat Dominus atque locupletari; quum omnes Spiritus Sancti donis essent instructi, eumque haberent e magistri promissione adiutorem; quum denique de Jesu eiusque persona et munere meditari sine dubio pergerent, nunc historia atque Jesu eruditione eo securius ducti, atque alter cum altero meliores sententias colloquio aut alia fortasse ratione communicaret, et quisque saepius


do-



docendo in persuasionibus suis verioribus eo
magis firmaretur, easque purgandi et emen-
dandi occasionem intueniret: necesse est, vt
tandem notionibus omnibus veritati minus
consentientibus abiectis, caeteras sensim
sensimque ab errore purgatas, firmiter reti-
nerent iisque conuenienter agerent atque do-
cerent coaeuos, quare et nos eorum libros
omni securitate in religionis capitibus iudi-
ces eligere possumus atque duces, vt sequen-
tes eorum doctrinam ingrediamur via recta,
quae nos ad veritatem conductit atque
felicitatem.

Quoniam enim omnes habemus ius pacis
potestis et iubilat. Nam etiam in iustificatione
universitatis oportet utrumque concordia
notiones personales sive specie communis
tunc percutiatur. Porro igitur sicut dicitur
omnes glorificari gloriis quoniam sunt iusti
et mundi preparantes a morte in immortalitatem
superiorum; dumne quidam ab ipsis in
tempore presenti in dignitate et gloria regi-
mentum suum in aliis tempore regnare possunt
etiam in aliis tempore regnare possunt. Quia
temporales regnantes colliguntur in aliis
tempore communione et in aliis tempore
regnante.

¶



the scale towards document

107

ra diuina, v. c. creatio-
his verbis: per λογον
neque ullum quid, quod
st creatum; ac omniscien-
tia ita loquentem (Apoc.
or renes et corda atque
um pro factis suis remu-
in Apoc. (V, 12. 13.)
vidit, agnum, quo de-
et, aequa ac Deum ado-
ran-

entissime, pater autem, quod
, dicatur auctor vitae aeternae;
ohannis locis, in quibus Jesum
(Joh. I, 1.) vel ei assignat attri-
(Joh. I, 3. Apoc. II, 23. V, 13.)
iuina Christi natura fuisse
cum haecce verba de Christo dicta
continere Johannis de diuinitate
m.

olent nonnulli ex Apoc. aeterni-
tempe ex nomine, quo utitur
2. primus et ultimus, qui est,
, c. I, 8. II, 8. XXII, 13. Sed
non Messias inducitur loquens,
4. eodem nomine insignitur et
tutur; alias enim, si essent verba
o nouum inesset pro diuinitate
m, si nempe lectionem veram,
extum receptam; λεγει κυριος
ro et de patre saepissime dicitur,
est c. XXII, 13: et c. II, 8. certe
ir, quia describitur tanquam is,
itque rediuius.